



1414.

Spz. mel. Dinn. 1713

andere Artog-!

62.





Q. D. B. V.

DE

# EQVIVATIONIS

EXIMIO USU MEDICO  
DISSERTATIO

IN

ILLUSTRI ACADEMIA LIPSIENSI  
PUPULICE QUONDAM PRO CATHEDRA  
EXPLICATA, JAM SECUNDA CURA CON-  
FECTA AC AUCTA, UT NOVI OPUSCULI  
MEREATUR TITULUM

A U T O R E

**CHRISTIANO MICH. ADOLPHI.**

Philos. & Med. Doctore, Facult. Med. Assessore,  
Societatis Leopold. Carol. Nat. Curios. Sodali, B. M. V.  
Colleg. Collegiato & Medic. Practico.

---

L I P S I Æ,

---

Impensis IOHANNIS HENRICI ZEDLERI,

---

Anno M DCC XXIIIX.

Q. D. B. N.  
DE

EXIMIO USU MEDICO

DISSSERTATIO

IN

ILLUSTRI AC ACADEMIA LIPSIE NSI  
PUBLICE QUONDAM PRO CATHEDRA  
EXPLICATA JAM SECUNDA CURA CON-  
RECTA AC AUCTA UT NOVI OPUSCULI  
MEREATUR TITULUM

AU T O R E

CHRISTIANO MICH. ADOLPHI

Philos. & Med. Doctor, Facult. Med. Altorfens.  
Societatis Carol. Curios. Sobal. R. M. V.  
Colleg. Colleg. Medic. Praxico.



Haperts IOHANNIS HENRICI ZEDLERI

Anno M DCC XXXIX

1949 g 8033



AUGUSTISSIMO ATQUE INVICTISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

CAROLOVI.

ROMANOR. IMPERATORI

SEMPER AUGUSTO,

MAGNO, PIO, JUSTO, FELICI, VICTORI,  
PATRI PATRIÆ.

Germaniæ, Castellæ, Legionis, Aragonum, Neapolis utrius-  
que Siciliae, Hierosolymorum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiae,  
Slavoniæ, Navarrae, Granatae, Toleti, Valentiae, Galliciae, Majorica-  
rum, Hispalis, Sardiniae, Cordubæ, Corsicæ, Murciae, Giennis, Al-  
garbiæ, Algeciræ, Gibilterrae, Insularum Canariæ, nec non India-  
rum Orientalium & Occidentalium, Insularum ac terræ firmæ, Maris  
Oceani, &c. *Regi, Archiduci Austriae, Duci Burgundiæ, Brabantiae,*  
*Mediolani, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Lucenburgi, Wirtenber-*  
*giæ & Teckæ, Superioris & Inferioris Silesiæ, Athenarum & Neo-*  
*patriæ, Principi Sveviæ, Marchioni S. R. I. Burgoviæ, Moraviæ, Su-*  
*perioris & inferioris Lusatiae, Comiti Habsburgi, Flandriæ, Tyrolis,*  
*Barcinonæ, Ferretis, Kyburgi, Goritiæ, Rosilionis, & Ceritaniæ,*  
*Landgravio Alfatiae, Marchioni Oristani & Comiti Gorceani,*  
*Domino Marchiæ Slavonicæ, Portus Naonis, Biscajæ,*  
*Molini, Salinarum, Tripolis & Mechlinæ.*  
& reliqua,

IMPERATORI, REGI.

ac

*Domino meo Clementissimo*

Felicitatem Perennem.

AUGUSTISSIMO PATRE INVICISSIMO  
PRINCIPIS AC DOMINO

DOMINO

CAROLUS

ROMANOR. IMPERATOR

SEMPER AUGUSTO

MAGNO, PIO, IUSTO, FELICI, VICTORI

PATRI PATRIAE

Germaniae, Castellae, Legionis, Aragonum, Neapolitanarum  
que Siciliae, Hierosolymorum, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae,  
Sclavoniae, Navarrae, Graeciae, Tolemi, Valentiae, Galliae, Maioricae,  
Iuniorum, Hispaniae, Sardinae, Cordubae, Corsicae, Siciliae, Siciliae, Al-  
gariae, Aegaeae, Gibraltariae, Insularum Canariarum, nec non Indiae  
rum Orientalium & Occidentium, Insularum ac terrarum Maris  
Oceani, Regni, Archiducatus Austriae, Ducatus Burundiae, Hispaniae,  
Moldaviae, Sylvaniae, Carinthiae, Carnioliae, Iucoburgii, Wurtembergii,  
Saxoniae Superioris & Inferioris Silesiae, Athenarum & Neo-  
patria, Principatus Sveciae, Marchionatus, & R. I. Burgoviae, Moraviae, Su-  
perioris & Inferioris Lusatiae, Comitatus Habsburgii, Flandriae, Tyrolis,  
Bavariae, Boreae, Kyburgii, Gortiae, Rossionis, & Germaniae  
Langobardiae, Marchionatus Orissani & Comitatus Gorciae,  
Dominio Marchiae Slavonicae, Portus Naonis, Bilejae,  
Moloni, Sallinarum, Tripolis & Mechliniae.  
& reliqua

IMPERATORI, REGI

ac

Domino meo Clementissimo

Felicitatem Perennem



**AUGUSTISSIME & INVICTIS-  
SIME  
IMPERATOR ac DOMINE,  
DOMINE CLEMENTISSIME**



**I**nter plurima **IMPERATORIA**  
ac **REGIA MAJESTATE** digna  
corporis exercitia locum haud sane  
postremum meretur equitatio, cujus  
tantum omni aeo apud quasvis  
moratiores gentes fuit aestimium, ut  
ea Nobilitatis suae florem à vulgi fa-  
ce distinguerent. Imprimis autem Germanorum belli-  
cosissima Natio Nobilitatem nobilissima hac corporis ex-  
ercitatione à civili ordine voluit separatam, quod illa e-  
ques

ques hic pedes tantum stipendia mereretur. Et tantum  
abest, ut posterioribus Seculis mos hic in desuetudinem abi-  
erit, ut potius Henrici Imp. quem Aucupem Annales vo-  
cant, temporibus singularibus Ludis Equestribus, ad quos  
non nisi Nobilibus fati Majoribus admittebantur, magis  
fuerit nobilitatus. Quemadmodum vero summa inde  
equitationis elucet dignitas atque præstantia; ita ejusdem  
haud contemnenda utilitas ex salutaribus effectis dispale-  
scit. Quæ cum argumentum sit ad medicinæ forum spe-  
ctans, non inconueniens tenuitati meæ duxi, qui ean-  
dem colo & profiteor, si equitationem, quatenus ad ho-  
minum sanitatem integram conservandam & protrahen-  
dam, quam ad amisam restituendam aliquid conferre pos-  
sit, peculiari commentatione penitius considerarem.  
Quem quidem laborem meum, qualis etiam ille sit, cui  
meliori jure, quam AUGUSTISSIMÆ CÆSAREÆ MA-  
JESTATI VESTRÆ VESTRÆque valetudini adeo pre-  
tiosæ & quam omnes & singuli ardentem exoptant, dicarem,  
neminem inveni. Ut enim taceam AUGUSTISSIMAM  
CÆSAREAM MAJESTATEM VESTRAM no-  
bilissimo ac verè regio hoc corporis exercitio quam maxi-  
me delectari, atque adeo non aspernaturam esse confide-  
rationem ejusdem medicam; Pietatis etiam AUGUSTIS-  
SIMO PATRI PATRIÆ debita sancta lex postulat,  
ut ad SACRATISSIMÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS VE-  
STRÆ Tholum devotissimæ mentis meæ exile quoddam  
monumentum ac tabulam quandam eamque votivam  
in Mnemosynes sacrario appendam, ut exinde intelligat  
Poste-

Posteritas, me Silesium natione **AUGUSTISSIMÆ**  
**CÆSAREÆ MAJESTATI VESTRÆ** fidelissi-  
mum subditum, nihil in me, quod ad testandam animi  
subjectionem faceret, desiderari esse passum. **VESTRÆ**  
quoque **SACRATISSIMÆ CÆSAREÆ MAJE-**  
**STATIS** Clementiã connata nunquam satis deprædican-  
da fretus, nihilque quicquam fastidii ob tenuitatem hujus  
opellæ subvereor, haud inscius, quod nemini fuerit vitio  
Deos colere mola falsa litando, si non habuerit thura: Ro-  
go itaque minimus, qui venerabundus adrepere sublimi  
Throno **VESTRO**, in cujus cultu & admiratione defi-  
xus hæret Terrarum Orbis, audeo hisce tenuibus paginis  
interpretibus, quantum subiectissime possum, ut easdem  
supplici mente oblatas & ad **SACRÆ CÆSAREÆ**  
**MAJESTATIS VESTRÆ** genua positas, & quæ à  
**VESTRO** Excelso jubare splendorem sibi unice fœne-  
rant, fronte serena accipiat. **DEUM** Ter Optimum Ma-  
ximum, Custodem ac Præsidem Imperiorum ac Principatu-  
um humillimo pectore, quoad vixero, orare non desistam,  
ut **AUGUSTISSIMAM CÆSAREAM MAJE-**  
**STATEM VESTRAM** Sospitem atque Incolumem  
ac quibuscunque bonis **TANTO IMPERATORE**  
dignis undiquaque Affluentem perpetuoque Felicem Hu-  
mano Generi quam diutissime concedat, seruet & tueatur,  
nec nisi sero & postquam **AUGUSTISSIMAM DO-**  
**MUM AVITARUM PATERNARUMQUE** Vir-  
tu-

tutum ut Imperiorum Heredibus iisque etiam Masculis in  
AUGUSTISSIMÆ AUSTRIACÆ DOMUS co-  
lumen Seculique delictum, impleverit atque firmaverit,  
Imperium suum non minus late in ortum quam in oc-  
casum protenderit, ad meliores & beatissimas sedes trans-  
ferat.

AUGUSTISSIMÆ CÆSAREÆ  
MAJESTATIS VESTRÆ

*Subjectissimus Et humillimus  
servus.*

CHRISTIANUS MICHAEL ADOLPHI

Hirschbergâ Silesius.



DE  
EQUITATIONIS EXIMIO  
USU MEDICO, DIS-  
SERTATIO.

PROOEMIUM



*M*Ensis, qui agitur, Martius, nobis in memoriam revocat, Romanos olim equiria sua, quæ dies solennes per equorum cursum erant, altera tertio Kalendarum, altera pridie Id. Martii in campo Martio propter Tiberim, aut in Monte Cælio, ab ipso Romulo Romanæ Urbis Conditore instituta Martique belli Deastro sacra celebrasse. Occasionem exinde nacti, equiria, velut jam nostra meditemur quædam medica, eaque patulum in campum producamus ac circa ea ineamus certamen, id est, equitationis commoda referamus & de exercitio hoc eximio exercitationem levem quandam componamus ac

A

con-

conscribamus atque eam in scena quasi publica, pro cathedra  
 academica solenni ventilationi exhibeamus. Ea certe, (equi-  
 tatio) ut ad varios necessitatis, commoditatis atque oblectatio-  
 nis usus ac vite humane functiones pace belloque aptissima, ita  
 etiam in Medicina ad sanitatem conservandam restituendam-  
 que proficua est. Ut enim non desunt remedia ab equis inven-  
 ta, & multa ab iis adhuc desumuntur medicamenta, vectatio  
 super equis incedentibus quoque multis egregio & pre aliis  
 plus plusque valente remedio est. Nota alias paremia vetus  
 est, necessitatem equitandi usum docere, quod ut notabile memo-  
 rat atque exemplo declarat Pontanus in historia Danica L. VI.  
 Refert enim de Efebillo Archiepiscopo Lundensi, quod, cum se-  
 neclute confectus atque infirmus equum conscendere vix vale-  
 ret, hostem vero adspiciens, mira agilitate mox in equum insili-  
 isset &c. Historici multa memoria & notatu digna adducunt  
 de equis, qui seniores suos ex presentissimo mire reportarunt &  
 eriperunt vitæ periculo, ut præter illud, quod de Bucccephalo  
 Alexandri Magni equo habetur, modo laudatus Pontanus l. c.  
 singulare ejusmodi memorie prodidit. Cui simile est illud,  
 quod refert Phil. Camerarius op. subcis. cent. I. 122. Nec ab  
 hac re abludit quod de Justo Lipsio vulgo recensetur. Huc  
 etiam trahi possit quod de Henrico IV. Reg. Galliarum histo-  
 rica monumenta notarunt, postquam Ipsi curru vecto pluries in  
 sidie structæ essent, eum dixisse Reges semper equo vehi habere  
 necesse ut undique circumspicere periculaque quibus expositi  
 essent a se avertere & præcavere possent. Hæc enim Medicina  
 nostra, alia equidem ratione & dici posse aut valere, jam indi-  
 cavimus & in sequentibus fuse indicabimus. Ad remedium  
 ejusmodi particulare declarandum adhortatur ipse communis  
 Medicina Parens Hippocrates L. I. loc. affect. inquit: circa  
 res particulares experiri Medicum oportet, qui singula artis o-  
 pera, quæ universali ratione didicit, tuto & celerrime exerceri  
 volue-

voluerit. Assentitur Galenus Lib. 4. c. 1. Method. Atque quondam apud eum parvæ pile lusus, qui pueris modo familiaris est, tanta estimatio fuit, ut integrum de illo librum scripserit. Multo magis operæ pretium quoque esse de equitatione, ut momenta atque monumenta afferantur, duxi. Fatentur & jactant Hispani, quod equites potissimum equis suis quam virtute, non armis, tormentis, hastis aut balistis Indos vicerint atque subegerint, (ut Benzo in Histor. Nov. Orb. lib. 2. c. 8. habet) atque tantis auriferis Americæ regionibus potiti sint. Refert acceptum Scythica gens equis suis vastum Chinæ Regnum. Extollit Hippocrates maximas opes, ad quas per equitationem generosissimi Scytharum ascenderunt. Adscribunt Darius Persarum, & Irmisslaus Bobemiæ, Reges, regiam dignitatem equis atque tantas victorias magnus Mogor Scach Achabar ejusque Successores ipsi. Gloriantur hinc inde multi generosi & nobiles Equites, per decoram equitationem insignem gratiam Magnorum Principum, Imperatorum, Regum, honores, gloriam atque præbea reportasse. Nos merito equitationem commendamus, simulque multis infirmis de ea, tanquam de certissimo auxiliorum genere, gratulamur, quia ars nostra salutaris illam impense commendat atque de ea haud vilia emolumenta promittit, quibus etiam gaudere merito possunt. His autem nostris conatibus non phaleratis quidem fave B. L. Deus vero T. O. M. cepta nostra fortunet!

## §. I.

**A** Deo verum est, corporis exercitationes tam ad sanitatem tuendam, quam amissam restituendam maximam facere partem, ut existimandum sit, esse illas omni spectatissimæ medicamento- rum farragini, longe multis de causis sapius præferendas. Si etiam mihi per multas series numeres omnes eas procul quæsitas magnoque conatu elaboratas compositiones, et longo formularum ambitu conspicuas, quas & universam propemodum materiam medicam Dioscoridis ingressam esse dixeris, & ideo vel solo adspectu horrendas, omnia illa universalialia, arcana atque adeo arcana, ut nemo unquam scriverit, ubi & quibus profuerint; Sique nomines panaceas, phalajas, qvintessentias, elixiria vitæ, cordialia, visceralia, astralia; aliaque ejusmodi gloriosæ ignorantiaë thraonica hyperbolica superstitiosa sapiusque ridicula mendaciorum nomina; Sique omnes ex procul quæsitis rarissimis carissimisque, ex auro, argento, margaritis, ac si mavis unionibus, gemmis pretiosis confectiones confortantes in fine tamen claudicantes quæ ut Langius epist: L. I. 21. loquitur, sicuti marsupia scenore ita facultates corporis vitales viribus exhauriunt, afferas; omnia tamen illa inquam eis vix sunt æquiparanda, quoniam iisdem certiora, tutiora, jucundioraque juvamina præstare possumus. Relatum habetur præter alia hac sola ratione sine elixirio vitæ aliisque ejusmodi speciosis artificiosisque, figmentis Terentiam CIII. Xenophilum Mulicium CV. Antonium Castorem insignem Botanicum CXX annos integros ac sanos vixisse; atque Pythagoram Chrysippum, Platonem, Catonem Cenfor: admodum longævos se præstitisse. Hoc enim mediæ atque remedii genus  
opti-



optimam & constantem sanitatem præstat & conservat, cum illa medicamentis adiuta semper sit inconstans & fallax, cum qua æque ac cum horologiis portatilibus aut aliis automatibus propemodum comparatum est, quæ eo sæpius corrumpuntur & fallunt, quo sæpius artificis experiuntur emendationem. Namque videbis eos qui copiosa diversaque devorant medicamenta, ac quibus ea in quotidiano usu sunt, aut quia pueritia pharmacopoliis se manciparunt, debiles & languidos ex levissima injuria, quam errores in diæta inferre solent, graviter læsos. Rursus expertum est ægrotos, qui pharmacomania laborant, quales plurimi inter hypochondriacos præsertim inveniuntur haud facile convalescere; e contrario vero eos maxime febricitantes qui nausea medicamentorum tenentur citius e febribus præsertim vitiorum generi hominum frequentissimis, evadere. De medicamentis enim, si verum fateri volumus, dicendum est: quod nullum fere sit eorum, quod si ex una parte juvamen afferat, ex altera quoque nocere possit, item quod sint ut strictus gladius in manu furiosi, atque quod optimum sæpe sit medicamentum, medicamentis non uti. Asclepiades hinc maxime laudandus, qui hanc rem præ aliis curæ cordique habuit, quare blandimenta varia excogitavit, imo, ut cubantium optioni ac commodis subscriberet ac inserviret, eo usque processit, ut plane negaret agris danda esse medicamenta, ratus, eam esse illorum conditionem, quæ artem medicam non modo difficilem & operosam, sed & tædiosam, ac dubiam reddat. Adhuc alii jam pridem, ut Petronas ac Herodicus etiam durioribus nimis exercitiorum laboribus atque molestiis morborum molestias depellendi tentaverunt, ob quod tamen tanquam modum transcendentes ab Hippocrate damnabantur.

Moderatores hoc in passu fuerunt: Antyllus, Aetius, Avicenna, Celsus, Aurelianus, Galenus qui v. gr. ut lethargici semitertiana, quotidiana feбри decumbentes, phlegmatico capitis dolore, hydrope affecti, ut & (quod apud Alexandr. & Trallianum L. IX. cap. 3. legitur) apoplectici, paralytici & resoluti, nephritici, podagrici, lectica circumferrentur, voluerunt.

## §. II.

Etenim corporis exercitiis, quæ sunt voluntaria (nostro sensu) agitationes externæ paulo plus minus fortiores validioresque ad respirationem mutatam auctamque, ut plurimum & sudoris usque eruptionem, citra tamen sensibilem fatigationem sive illius ex loco in locum, sive corpori insularum & propriarum motricium virium, sive ab extra advenientium ope, id efficiunt, ut motum adeo ad conservationem & continuationem vitæ & sanitatis necessarium in ovulo ab elatere masculo inchoatum omnium corporis partium fluidarum pariter ac solidarum, quæ commune quoddam vinculum habent & quodam consensu inter se continentur, atque conspirant juvemus, impellamus ac intendamus. e (ut explicatius loquar) beneficio illorum fluidæ impelluntur partes, ut fortius solidas impellant, & rursus solidæ partium fibræ musculares, flexibiles redduntur ac aptæ ad vibrationem facilitandam stringuntur atque impelluntur, ut fluida majori nisu impulsæ citatiori cursu per vasa volvantur, quo reciproco motu optime æquilibrium inter solidas & fluidas partes conservatur & restauratur. Si enim frequens & copiosus sanguinis est per vasa ad cor affluxus, major etiam ejus expansio est, & quo major hæc, eo etiam major est contractio, sicque liquores corporis nostri virales atque laudabiles, æquali jugique motu progressivo mediante intestino expediri-

us

us circulantur, non modo per cor tanquam centrum, sed & per vasa omnis generis & omnes majores & minimos etiam tubulos & omnes partes extremas alluunt sicque calorem fuscitant, omnes pori aperiuntur, & ductus, quo in extremis præsertim artubus, nervi, membranae, ligamenta, muscoli & ossa roseida irrigantur humiditate & recreantur. Mediantibus his, partes sanguinis multifariae adeo & mole motu indoleque diversae intime miscentur, subiguntur, ac uniuntur, quippe quæ ut principia sanguinem constituentia per se non sunt miscibilia, neque non levia, non tenuia minusque inter se convenientia, sed asperæ, graves, rudes, rigidae particulae insunt, quæ ad se invicem pressæ interventu motum suspendunt, unde facile in grumos abire potest tota commixta massa. Etenim insunt oleosæ, aqueæ salinae, terrestres mucilaginosæ: quas chymicæ operationes & experimenta detegunt; quæ debita quantitate & qualitate invicem exacte misceri debent, ut homogeneous quasi humor exsurgat atque appareat. Insuper ejusmodi corporis motus attritione simul viscidiores, lentæ, crassiores, quibus pleraque certe morborum debentur initia, dividuntur, attenuantur, absteruntur, sicque fluiditas & spirituaescentia augetur. Spiritibus ipsis animalibus qui reliquas partes animant ætuantque, motum fortiorem imprimunt & influentibus faciliorem transitum concedunt, nervorum per quos fluunt proportionam tensionem efficiunt, ipsosque intime cum reliquis humoribus commiscet ac uniunt; Nam observare licet, copiam spirituum & minus subactam & per minima distributam, minus compositam, laxiorem cohesionem, unionem non adeo intimam obesse durationi, quoniam sunt activi; hinc dein statim fit illorum inæqualis & inconstans, inordinatus & subsultorius, & consequenter dissol-

dissolvens, destruens, consumens motus, atterunt, & inter se atteruntur. Partes vero a nimio spirituum influxu corrumpit lædi manifeste videmus v. gr. in gonorrhœa a semine nimis spirituofo & in convulsionibus ubi insigni impetu & majori influunt: inæqualitas enim, est dissolutionis mater. Hinc spirituum compositionem facere ad longævitatē, ignis exemplo declarat ac edocet Illuſtris Baco de Verulamio H. V. & M. p. 566. His secretionē per glandulas nimirum perficiendæ, quæ reliquarum functionum sunt fundamentum, juvantur & stimulantur, nam his turbatis reliquæ mox suum patiuntur impedimentum, in quibus præ aliis ob structuræ horum organorum teneritudinem flexuras & contorsiones motu subinde novo opus est. Juxta has (secretionē) excretionē quoque superfluatorum circa quas ordinandas & corrigendas fere conservatio, præservatio & curatio versantur & absolventur, non minus promoventur simulque stagnationes & tandem corruptiones vel imminentes vel incipientes prævertuntur supprimunturque, ut corpora ad instar frumenti bene cribrati, cui nihil inest vitiosi se habeant. Diaphoresis imprimis commune uniuersalēque humanæ naturæ emunctorium, qua nulla operatio tutior & utilior omnium in utilium superfluatorumque ejectione omnisque utilium atque congruorum in corpore nostro conservatio extat atque continuatur hoc medio atque remedio optime iuvatur. Quadrat huc Aphorism: Sanctorii in Med. Stat. Sect. 5. Exercitio corpora leviora fiunt item Galeni sententia 3. Aph. comm: 20. exercitatio supplet vicem purgationis humorum, qui sunt in profundo corporis, & 3. aphor. com- 15. exercitia collectas singulis diebus superfluiditates expurgant. Etenim pulsus massæ humorum vix aut admodum difficile potest stagnantium in-

far.

farctum auferre per motum vero externum fortiorem accedentem eaque obstructiones efficiunt partes moventur atque dissolvuntur potenter, omnes actiones, quæ in humano corpore iustituuntur, expeditiores redduntur & meliores, pulmonum maxime, inspiratio scilicet & expiratio liberiores instituuntur atque per eam non modo aer crassior e pulmonibus educitur citius, sed & simul spirituosum excrementum fulginosum vulgo dictum per pulmones emitti solitum, promovetur commode, appetitus acuitur, alimenta assumpta a motu ventriculi subiguntur, melius digeruntur & in bonum chylum convertuntur, ulterius promoventur nutritiæ partes & laudabiles bene distribuuntur apertis undique poris, affluxa earum invitato ac fuscitato, ac partibus assimilantur, omnesque dein succi animales laudabiles debite elaborantur atque requies placida & jucunda recreans mentemque gratisimis imaginibus mulcens invitatur, corporis membra illorumque omnes partes componentes, fibræ nimirum carneæ, nervi ac tendines fiunt validi, vasa stringuntur & dilatantur & frictione hac blanda & assidua, subindurantur, intenduntur & confortantur, ut totum corpus reddatur levius ac solidius compactiusque, & quod dein adversus causas externas munitum externisque injuriis minus obnoxium permanet: Sicque vita prolongatur, sanitas constans & integra atque habitus tandem athleticus adeo celebratus comparatur, imo omnium sensuum externorum vigor integer conservatur. Ad hanc rem notatu dignum est, ipsam Naturam ad commodam exercitationem admonere, cujus vis omnis in motu posita est, eamque non modo infantes & pueros atque omnia animalia bruta juniora, quibus alias a natura est tributum, ut quæ ad vivendum sunt necessaria, profeq uantur declinenturque ea, quæ noci-

tura videantur, statim ab ortu ad motum, agitationem, cursus, saltationem nec sine voluptate stimulare, sed & motum fortio-rem tanquam exercitium involuntarium instituere, quo a morbis se liberare satagit, sternutationem, puto pandiculationem, singultum, tussum, vomitum &c. (quæ omnia sanguinem accelerant) &c. aliosque in sanguine impetus vel saltem ad ejusmodi motus instituendos invitantia pruritus & similia irritamenta excitare. Ad quos motus instituendos omnes corporis partes semper quasi se offerunt sponte & paratæ sunt nutusque expectant, te ut ad sui modulum per tensionem illam constantem, quæ omnibus præsto est quaque, donatæ illæ sint, quaque tonus alias vocatur, agant, atque mira non raro agilitate & promptitudine ab externis injuriis imminenti- bus tuentur etiam citra voluntatem mandantem. ex. gr. imprævisum casum artus varia motitatione & jactatione avertere tentant, oculi, obveniente ictu aut plaga, protinus se claudunt, sub lapsu manus & brachia se prævertunt &c. Elegans commentatio exercitationis corporeæ Neapoli in muro horti Capellæ in tabulâ publica extat, ut sit omnibus cognoscenda: „Exercitium est humanæ vitæ con- servatio, caloris naturalis lima, excitatio dormientis nature, virtutum corroboratio, superfluiditatum consumptio, otio inimicum, temporis luerum, juventutis debitum, & senectutis gaudium. V. N. Chytræus in deliciis Europæ p. 65.

## §. III.

Plus dicam, exercitationes non modo corporis actiones fartas servare tectasque, vel imminutas aut depravatas concitare, corrigere, restituere, sed & animum mire (has magis tamen illas minus) ejusque robur, vires & operationes alere & excitare, sensusque inter

internos, quos vocant, instaurare incolumitatem memoriæ vigoremque ingenii in excogitando, inveniando, ratiocinando, judicando valentem præstare. Hinc alta ingenia & erecta motu gaudent, motumque amant, passiones sic dictas moderatas confirmant, & inordinatas moderantur ac ordinant, quod præclare sentit atque scripsit Galenus l. de consuet. ab exercitiis animæ universæ virtutes augentur, & robur accipiunt. Rursus l. i. de san. tuend. exercitiis modicis, tum corporis tum animi custoditur intra sanitatis fines natus calor. Innuit Plinius Lib. I. Ep. 2. & 6. & Seneca Ep. 1. i. p. 56. affirmat, illis animum alii, & p. 219. de tranquill. animi dicit: in ambulationibus apertis vagandum, ut cælo libero & multo spiritu augeat attollatque se animus, ut plura jam non addam, cum rei testimonia ipsa adsint ubique. Vixi sunt multi stupidioris ingenii, quos phlegmatici temperamenti esse, diceres, ex nimia humiditatum earumque crassarum & viscidarum copia, corporis motionibus frequentioribus sagaciores & prudentiores facti; Nec jam mirandi causa est, cur omni tempore corporis exercitia, ut modo prælibatum est, a magni nominis Principibus atque Heroibus, Sapientibusque frequentissime instituta fuerint, ut documento posteris quoque esse possint. Hercules, Achilles, Augustus, Marius, Antonius Philosophus alique multi, & eo ipso simul præluserunt virtuti, quam admiraturus postmodum esset terrarum Orbis. Pittacus Rex Mytil. rotam versabat, Lacedæmonii juventutem quotidie & varie exercebant, laboribus, venationibus, cursu, immo fame, siti, calore, frigore &c. Hinc cum pueris Socrates ludere & longa arundine equitare, (de quo differens adeatur P. Hughius illustr. quæstionibus P. II. 10.) non erubescibat; licet etiam ab Alcibiade risus esset; Scipio & Lælius con-

charum marinarum collectione se recreando certabant. Scævola pila ludebat ac calculis vacabat, in rebus enim feriis Scævola, in lufibus hominem esse, volebat. &c. Nec frustra opinor, Aristotelem Peripateticum fuisse, qui pariter ac Plato in ipsis Gymnasiis philosophari solebat, ut simul cum corporis exercitio etiam spiritus ipsi & animus alacriores redderentur. Neque primum alium in finem exercitia, quæ equestria vocantur, instituta sunt, quam ad fortitudinem excitandam, ad emendandos & præparandos ad meliora corruptos mores & immodicas voluptates, quæ ex desidi otio exsurgunt, avertendas ut de Agesilao & variis Persarum Regibus habetur. Alexander Magnus, postquam enim (ut Curtius memorat Lib. V. c. 3. Asiam in suam potestatem redegerat, & in urbe Babel per fat longum tempus cum suis permanferat, iique otio & quæ ab eo procedunt, vitiis, lusu, scortatione, furto, commesationibus aliisque illecebris voluptatis corruppebantur, militaria excogitabat exercitia, ut haberent quod agerent, & a vitiis desisterentur. Nec Romanis & Germanis &c. per postera secula alia mens fuit aliusque scopus.

## §. IV.

Quam infelix igitur eorum conditio est, quibus socors est animus, qui segni in otio, ex quo ingnavia crescit, torpent & velut attoniti jacent, & claudorum (ut ajunt) incurvatorumque ad modulum futurum domi corrupuntur & latitant in angulo ut glires per hyemen, ex quo, tanquam equo Trojano, innumera mala exeunt, qui inter perpetuum illum ignaviæ comitem, lusum socordem atque inertem, inter aleas & ingluviem, Bacchi & Cereis illa lautissima munera, occupati, qui mollitie effeminati propemodum diffiuunt & qui exercitationibus non  
oble-



oblectantur, hi corpore & animo pariter languent, his artus rigent & situs quasi contrahitur, vitia simul utraque emergunt & inolefcunt, materia vitiorum impura collecta retenta, sensimque aucta, sensimque magis corrupta, atque motibus singulis langvescentibus & imminutis, partibus torpescantibus aut laxatis aut infarctis. Hinc inter eos, qui ejusmodi vitæ dediti sunt, adeo multos invenies, qui gravibus & diuturnis passionibus sunt correpti, ut malo hypochondriaco, calculo, arthritide, cachexia, scabie, scorbuto, hydrope, similibus, ex copia & impuritate humorum eorumque stasi infarctu & obstructionibus viscerum imprimis oriundis. Hic certe motus est Medea, quæ incantamento quasi homines sanos longævos præstat, & rejuvenescere illos efficit, ut locum olim fictioni fecit, quippetraditum est, ipsam hominibus coquendo juventutem restituisse. Superflua enim nutritiæ partes adutorum, senum, ( utpote quorum corpus non amplius ad augmentum iisdem habet necesse, tamen adeo multa assumunt ac pueri & adolescentes ) ad fibrosam habitus texturam, quotidie deponuntur, apponuntur illamque occalescentem uelut reddunt, ut ad motum minus sit apta & agilis & perspiratio simul impeditur, atque circulo, dein segniori indies sic facto, vita sensim quoque tandem deficiat. Pollicetur hinc Galenus neminem ægrotaturum, si integer ante cibum exerceatur, ac a cibis pravis crassisque absteineat : atque adeo opinatur Lud. Mercatus de Sanit. & ejus Conserv. p. 54. quod corporis exercitium non solum benefaciat ipsi, sed & emendet victus rationes, quibus fiat, ut fere universa sanitatis ratio in exercitando corpore sita sit. Notanter Plato has artes civitatibus necessarias esse, judicavit, Gymnasticam scil. & Musicam, animorum, corporumque nutrices:

Neque attinet dici, per exercitia ejusmodi deprædatorio motu atque calore quos efficiunt, multas laudabiles partes separari, dissolvi, immutari atque consumi, quæ quiete & odio conservantur. Sed neminem fugit ratio quod salva res sit, si & modus in his teneatur. In hujus aliqualem illustrationem insuper sistam dictum illud Marci Catonis ut apud Gellium habetur & quod sequentem in modum se habet: Vita humana probe ut ferrum est, si exerceas conteritur, si non exerceas, tamen rubigo interficit: Ita homines exercendo videmus conteri, si nihil exerceas inertia atque torpedo plus detrimenti facit quam exercitium. In hanc rem notabilis est ordo & ductus Naturæ quæ sedecim aut octodecim horas motibus & exercitiis corporis obeundis, octo autem vel sex aut septem saltem requiei destinavit, per quas delassata membra, defectumque virium iterum refarcire solet. Atque commode hic quoque commemoratur sanitati ac vitæ non adeo obesse excessum internorum motuum, quam illorum defectum.

## §. V.

Ideo qui studet, ut recte valeat mens in corpore concinno, vegeto ac sano, modicis convenientibusque exciteretur exercitiis, sine quibus & optime valentes & validi perdendi valetudinem suam periculum incurrun, milites imitatus, qui media ac alta in pace supervacuis quasi laboribus se exercent, ut sufficere necessarii possint, & nobiliores spiritus ad martium atque militare decus & opus optime præparent atque accendant. Præferenda igitur omnino sunt, secundum veterum sapientiæ & artium bonarum & salutarium Magistrorum præcepta, quæ non minus bonam corporis habitudinem, sanitatem, & convenientem membrorum

com-

compositionem, quam animi vires atque virtutes atque generosos ad præclara impetus præstare, excitare, conservare & augere possint, quæque corpus nostrum ita præparant, ut rationis imperiis non adversetur ex quo duplex redit emolumentum: liber enim & excitatus animus simul benefacit corpori, ut Galenus jam recte monuit, quare Plato scitissime dixit, quod corpus nunquam sine animo, & animus nunquam sine corpore, exercendus sit. Placent magis & item conferunt exercitia quæ voluptate quadam animum afficiunt, quæ & facilius perferruntur, licet etiam sint duriora ac quæ grata quadam varietate, quæ aequaliter corpus & omnes partes & placide & optime movent. Eorum optima censentur secundum Transactionum philosophicarum Anglicanarum explicationem Anno M DCC XVI mens. Jul. August. Septembr. in quibus loca mutantur. Meliora etiam sunt, quæ fiunt sub dio & aura liberiori, ubi apertum cælum spectatur, qualis est rusticanus, quam quæ sub tecto & inter urbium, platearum domorumque mephitim, meliora quæ in umbra, quam parietes & viridaria efficiunt, instituuntur. Eligenda quoque quæ scopo, pro quo instituuntur, magis conveniunt. Permagni enim ubique interest, quibus motibus hoc aut illud moveatur, quod & de microcosmo, corpore humano valet, ad quasdam enim actiones, quasdamve agendi intentiones motus; saltem tonicus, ad alias pressorius, ad alias quassatorius ad alias circulatorius motus, &c. requiritur. Tales motuum differentias & has quidem v. gr. in motu musculorum in motu locali totius corporis, alias in respiratione, macatione, chylicatione & sanguificatione, alias in fluidis promovendis & fecernendis, in nutritiones in utilium porro ac minus utilium secretionem, nec non horum excretionem

ne observamus. Si præter hæc alia adhuc quæras hujus rei exempla, exemplo tibi sit tarantismus, de quo Baglivius, qui ex ingenio magis quam commentariis sapit, testatur de tarantula c. 19. eum sanari largo sudore aborto a saltatione, & non sequi sudorem idem præstare provocatum ab ordinariis & vulgaribus diaphoreticis, ac illa venenum non eliminare ex massa humorum perinde ac saltationem, per quam viæ apertiores fiunt & corpusculorum stasis optime tollitur. Sic solo motu vorticoso vertigo inducitur & inconcinnae musicæ harmonia si v. gr. in pandura pone ponticulum plectro nervi plectuntur, item tritura ferri &c. ingrata sensationem, horripilationem, stuporem dentium inferunt, sicque pertinax alvi obstructio non alio facilius corporis motu vultatione in lecto solvitur &c. Porro perspectum est quod reflexus tantum & reciprocus tremulus aeris motus sonum efficiat, ubi nimirum partes aeræ sphaerulæ percussæ & vibratae cedunt atque recedunt, & inter se invicem resiliunt & reflectuntur atque pro varia vibratione aeris in sono & vibrationum concursu vario, item proportione, frequentia & combinatione soni oriuntur fortes, aut lenes, acuti & obtusi, harmonici & dissonantes, ac sic exinde spiritus in aurium nervis varie attinguntur ac moventur. Rursus per sonos certos vitra rite collocata contremiscunt & franguntur, de quo vide celeb. Morhof. de Scypho vitreo &c. & in scyphis vitreis aqua repletis, motu digiti tremulo madefacti & in circumloquio in margine aqua contenta in bullulas elevatur &c. Quidquod? in tota rerum natura videmus, (cum motus sit universalissimum medium productionis & operationis) varios effectus & mutationes varias, pro diversa motuum specie, proficisci comperimus.) Facile exinde  
fluit,

fluit, eodem modo in nobis motus ejusmodi fieri, atque hinc ad gaudium tranquillitatem vel tristitiam & inquietudinem vel somnum componi, aut alacritatem excitari, nos exindeque in nobis varios morbos oriri, aut sanari.

## §. VI.

Sunt nempe exercitiorum corporis permulta, & tantum non innumera quæ secundum gradus, tempus, modum, quantitatem, qualitatem, vehementiam, celebritatem, locum, ordinem &c. differunt, quæ plurima, si modicè tractentur sanis, pauciora ægrotis sunt, congrua. Hæc ibi, illa alibi amantur. Sic Græci generatim dicendo cheironomia exercitia atque speciatim Crotoniata & Bœotii, palæstram, Athenienses ludos navales, Lacedæmonii, pedestria, Thessali equestria exercitia, venatum Cretenses, saltationes Syberitæ, Lydii pilæ lufum, Jones eandem & chorum, Thebanitibiarum modulationem quondam aliis præferebant. Multa in veteri ævo celebrabantur, quibusdam nostro adhuc multi delectantur, multa vero in desuetudinem abierunt, nihilque præter nomina ad posteras ætates pervenere, ut certamina & ludi varii, publici & privati inter exercitia veterum numerati pugilum, andabatarum, luctatorum cursorum &c. exercitationes &c. ludi Circenses, Olympii, Pythii, Nemii, Isthmii, Plebeji, Secularia, Taurii, ac Lupercalia, Boalia, Dionysia, exercitia, lucta, disci-projectio & jaculatio &c. Annumerantur quoque his labores diversi domestici sanis pariter & quibusdam infirmis proficui, ut lignorum fissio, truncorum arborum serratio, terræ fossio, remigium &c. atque ii opificum multifarii, quotidiani v. gr. pileorum, figulorum, textorum, tornatorum, eorum qui machinas calcant, qui coria pedibus subigunt &c. qui omnes diversimode corpus movent at-

C

que

que exercent. <sup>on</sup> Singulorum aut certorum saltem morborum curandorum & individuorum &c. certa earum differentia notatur; quanam enim corpus aequaliter exercent, quaedam certas magis partes, hæc species huic parti altera alteri, aut pluribus corporis partibus ex usu sunt, imo aliæ aliis corporibus conveniunt, ab his anima magis, ab illis corpus magis accipit commodum aut incommodum v. gr. deambulatio præcipue cura movet, & capiti, oculis, collo, pectori auxiliatur. Vid. Antyllus apud Oribasium, 6. Collect. c. 21. &c. Non convenit vero iis qui tumoribus Oedematosi vexantur, qui semper de die augentur, imprimis in stando vel deambulando. Notabile in hanc rem est, quod Xenophon notat, in Fests. Cursores, qui olim inter cancellos decurrebant, crurâ ac pedes magis crassos, at humeros leviores ac tenuiores, luctatores vero humeros crassiores & crura tenuiora habuisse. Parvâ pilæ lusum vero e contra partes superiores, magis brachiasc. & pectus, exercet, & epilepticis, vid. Aurelianus lib. I. Chr. c. 4. in calculis extrudendis, (quare Augustus Imperator eam amavit, vid. Sveton. in ejus vita c. 80. & 83.) alvi profusio, tumore, vid. Cels. l. I. c. 6. senibus de quo Martialis l. IV. epigr. 45. proficiuus, minus vero in lippitudine, de quo Horatius l. I. serm. satyr. v. Saktatione (quæ Socrati imprimis placuit) totum fere corpus movetur, præcipue tamen crura, eaque firmantur; gravidis autem secundum Hippocrat. l. de nat. puer. nauseabundis, herniosis, calculosis, athmaticis, procidentia uteri adfectis & menstruis fluxibus nimis, & feminis profusio, pedum doloribus & tumoribus obnoxiiis adversatur, & capitis gravitatem & dolorem sentientibus & vertiginosis, (si corpus nimis in gyrum frequentius vertatur) adeo molesta

sta

sta est, ut quoque choreas vix possint spectare. Præterea de hac observatur, assiduos saltatores in senectute fieri arthricos, & podagricos, conf. Panarolus observ. med. 30. p. 162. præ aliis vero depredicatur in morfu tarantulae, chlorosi & hysterica passione. Sic disci projectio apud veteres usitatissima, ut validum satis exercitium, thoracis morbis adfectis noxam haud exiguam sine dubio inferebat. Navigatio pariter per mare, multis in morbis phthisi maxime, remedio est, ob quod quondam multa trans mare itinera facta sunt; at de hac etiam comperti sunt varii navigantium morbi, quorum quidem pervicaces satis sunt, atque adeo pervicaces, ut constet vertiginem v. gr. ab agitatione navis contractam, ægerrime posse curari, adeantur Eph. G. N. C. D. I. an. 3. obs. 196. nam agitationem inæqualem & duram navigii vi ventorum impulsu, præsertim sub procellosa tempestate, transpirationem insensibilem impedire, & hinc plenitudinem nimiam atque excernendorum humorum retentionem & accretionem efficere dicitur. Præterea & corpus male perturbat, quod jam Hippocratem dixisse, ex 4. aphor. 14. apparet, atque præsertim juxta vertiginem modo nominatam alvi obstructionem, nauseam & vomitum excitat. Legatur Cokburn, Anglus de navigantium morbis. De curru-vectione hodie usitatissima, observatio & æstimatio Sanctorii ejusmodi est, Med. stat. sect. 5. aph. XXX. Vectio in curru inconveniens est, non enim solum perspirabile incoctum expirare facit, sed etiam solidas corporis partes & maxime renes offendit, nephritidem imprimis scil. in du-cendo, calculosque commovendo. Conf. Beerhaven aphor. de cogn. & cur. morb. p. 371. &c. Incommoda enim varia incurere interdum ex curruum commoditate pos-

sunt, qui eam amant, quia perpetuo insident, & cruram præsertim ac reliquorum membrorum juncturæ enervantur, ac torpida redduntur; unde pedum tumores œdematosi aut contrahuntur, aut enormiter augentur: (hinc & in arthritide & podagra & calculo nocet) flatus sursum ventriculum versus adiguntur (quare hypochondriaci ægre illam ferunt) insuper & nausea & vomitus quandoque inducuntur, & ad hæmorrhoidum molesta symptomata dispositio exsurgit. Quæquam & pro varietate & aptitudine curruum ut & aliorum accidentium quæ in ipso itinere occurrunt, variat ipsa quoque hæc veltio: nimirum v. gr. currus pensilis & liber longe commodius, æqualius, lenius molliusque, fluctuatione quasi convenienti, movet corpus, atque per locorum difficultates si inæqualia ea sint, rufosa, lapidosa duriter fat insedentes concutiuntur.

## §. VII.

Singulare & maxime laudabile quoddam præ omnibus exercitiis aliis equitatio habet, quæ ideo optima exercitationum species merito habenda est. Quippe equitatio ex sessione & statione mixta est, atque duplicis etiam exercitationis vicem explet, illius nempe, quæ a nobis fit, & istius, quæ ab aliis perficitur. Namque equitatio est species motus translatici corporis equo insidentis ab hujus gressu dependens. Gressus autem quadrupedis omnis fit, partim statione, partim translatione aliquid animalis partium, quæ aliis partibus quiescentibus innituntur. Concipi enim potest equus velut machina quædam oblonga, quatuor fulcris terræ innixa, quæ in statione equi firmissima constituunt rectangulum quadrilaterum, prope cujus centrum e centro gravitatis equi cadit linea directionis. Incipiente translatione per  
lone-



elongationem pedis sinistri postici ad instar. conti centrum gravitatis antierius promovetur, consequenter flexis tribus columnis erectis tota machina antierius protruditur. Deinde firmis manentibus tribus pedibus centrum gravitatis comprehendentibus, ut machina a casu præferretur, anterior pes sinister transfertur antierius, & centrum gravitatis cadit in centrum rhombi cujusdam, quod formant tres pedes, cum puncto in quod pes sinister transfertur. Confecto gressu duorum sinistrorum pedum incipit translatio postici pedis dextri, & deinde anterioris, atque ita gressus equi absolvitur. Crura autem equi erecta ob suam duritiem pondus incumbens tum innixa machina equi corporea, tum insidentis equitis facile sustinent, dum eques sic equo vehitur atque movetur. Insidens & quiescens quasi duplicem corporis dispositionem & affectionem format & experitur; compositio vero ea corporis in equitatione ex statione & fessione composita est, quoniam ex arte est, ut equites tam pedes firmiter stapedibus infigant, constantesque ibi semper teneant, quam ut regione perinae saltem ephippium attingant non totis incumbentibus clunibus ut in sella insideant; statio vero certa quaedam motus etiam species est, ubi equilibrii tensione musculi magnopere tonico motu contenduntur, quatenus tota corporis moles ad perpendicularum incumbit. Eiusmodi motus tonicus in unam partem unumque angulum sine alteratione determinatus omnium difficillimus est & corpus non parum fatigat, siquidem quavis tota die percipiet, stare majorem lassitudinem ambulatione parere, unde qui certis motibus atque in unam partem sunt assueti reciprocis antagonistarum motionibus exequendis minus idonei sunt, hinc & adeo non delas-

fatur corpus, ac quidem sive in aliis corporis motibus, sive etiam sessionibus, ut in navicula, lectica &c. in qua corporis positura alias ut humorum descensus facilitatur, ita ascensus inhibetur, & muscoli certissime validiores redduntur, venter emollitur, urina provocatur; maximo-pere vero offenduntur, qui renum inflammationem hernias &c. patiuntur; asthmatici vero levantur, unde etiam Hippocrates in ulceribus curandis quietem imperavit, stare & sedere ipsis inimica pronunciavit, & Caelius Aurelianus stationem in epilepsiae curatione stans exercitium vocat; sub hac vero corporis positura ex sessione mirum & statione mixta, quoniam & cum vicissitudine corpus minime adeo fatigatur: nam & optima hæc quoque ejus conditio est, quod instituitur tota præcipue equis leniter incedentibus in advetis citra virium dispendium, quod a paucis aliis exercitiis est sperandum.

## §. VIII.

Præsertim vero in hac (equitatione) juxta universarum corporis partium & æquabilem exercitationem palpitatoria quasi non crurum saltem & pedum, sed & totius corporis omniumque membrorum blanda succussio & motus tremulus pedetentim factus alternativus reciprocus sæpe adeo repetitus & continuus sive sursum deorsumque agitatio solutoria seorsim notari & magni æstimari meretur. Maxime vero omnis impetus & terminatio in abdomen fit, descendit ac terminatur, quo ventriculus, diaphragma, intestina (quæ per suas revolutiones omnes partes abdominis in eo contentas tangunt, easque ad suum officium exequendum excitant, ut bene Riolanus animadvertit in opusc. anat. novis contra Pecquetum p. 161.) & imi ventris omnia viscera illorumque glandulæ vasæque reliqua

qua secretoria & excretoria &c. optime afficiuntur, agitantur, vibrantur, cedunt, recedunt, motus ventriculi & intestinorum peristalticus, qui præcipua causa & secretionis chyli & eius progressus per vasa lactea, ut & scybalorum ejectionis foras, existit, quo nullus motus in œconomia animali propemodum magis necessarius & utilis est, egregie juvatur atque impellitur. Quam proficuum, quam laudabilis ejusmodi motus reciprocus blandusque succussorius ac tolutorius sit, de motu v. gr. diaphragmatis sæpius repetito constat, per quod ventriculus fursum deorsumque quoque continuo movetur & similis ideo ejus motus est propemodum illi, qui in equitatione fit; nam per hanc externam concussionem solutio ciborum simili ratione facilitatur, sicuti videmus solutiones discontinuationesque ac subtractiones concretorum, alias agitatione & conquassatione externa feliciter citiusque institui. Quod tam necessarium, quam palam est, nullibi fere in corpore humano quam per abdominis viscera, quæ motu satis non gaudent, (ut per eorum vasa sanguis jugiter feratur) impeditiorem, tardio rem ac difficiliorem circulationem sanguinis esse, sub quibus nimirum non solum ventriculum & totum intestinorum canalem, sed & potissimum mesenterium, pancreas, lien, hepar atque omentum intelligo atque de his hanc censuram addo. Per hoc in specie (omento:) sanguis difficilius fertur, quod non nisi membrana tenuis est, ex venis arteriisque constans fibris carnis, musculosis & nerveis sufficientibus tamen destituta, quodque forte inservit sanguini abundanti, in corpore toto diverticulo, ut spatium habeat ibi se diffundendi secedendique, ne cor atque pulmones, ceteraque viscera nobiliora graventur. Hinc Observationes practicæ ac anatomicæ

micæ passim testantur, atque confirmant, plurimorum morborum chronicorum sedem hic esse, quia repertum est illud scirrhosum, exesum ac putrefactum. Per venas enim sanguis in his partibus difficiliter regreditur, quoniam debito impulsu sunt destituta, imprimis cum sursum per eas sanguis debeat moveri motu hoc naturæ legibus per se repugnante, quippe omne grave corpus sponte sua tendit suoque motu deorsum. Non minus causæ gravissimorum morborum chronicorum nidulantur in mesenterio, per quod omnis chylus omnisque lymphæ ferme ex toto corpore ad receptaculum lymphæ & chyli pergit, ubi non debito impulsu fertur & circulatur hytadidum, lymphæ extravasationum, abscessuum, scirrhorum, obstructionum viscerum causam subministrat. In culpa non levi sine dubio est & vena Porta, cujus structura & usus est plane singularis, nam diversa plane est ab aliis venis omnibus: e minoribus enim canaliculis divaricatis ad majores, & dein iterum in minores dividitur, in qua impulsus ab arteriis & motus diaphragmatis & musculorum abdominis sub respiratione vix semper sufficiunt, qui omnem sanguinem ex tot visceribus redeuntem per omnes & minimos tubulos per hepar propellere possint. Hinc ex circulatione hic impedita, multa magnaque incommoda ex hoc fonte promanant, & plura sane quam quidem medicorum vulgus satis perpendit aut credit; Ut vero sanguis omnis jugiter per hæc aliaque vasa propellatur, equitatio singulari sua motione atque agitatione omnium optime efficit. Quod perspicuus sagacissimus Sydenham in observ. med. circa morb. acut. histor. & cur. S. IV. cap. 7. inquit; si enim nobiscum reputemus ventrem inferiorem, in quo disposita sunt organa secretoria, hoc maxime

maxime exercitio vibrari, eaqve succuffationibus aliquot mille uno in die agitare solere, facile credamus, eadem succum quemlibet recrementitium ibi impactum, ope dicti exercitii posse excutere, & (quod majoris adhuc est momenti) validiora ista caloris nativi excitatione ita corroborari, ut munere, quod iis mandavit natura, in sanguine depurando recte defungantur.

## §. IX.

Ex præfatis jam facile colligitur, hoc motu plane peculiari, cui par alius vix datur alibi, justum omnium fibrarum tonum conservari ac firmari, elangvidum vero & flaccescentem restitui, sanguinem & humores omnes ad promptiorem circulationem excitari, eos subtilifari fluidioresque reddi, secretiones & excretiones lymphæ, fermenti ventriculi, bilis, succi pancreatici, mesenterii & reliquarum omnium glandularum juvari, obstructions aperiri, digestiones instaurari, morbificas vero particulas humorales, a glandulis intestinorum maxime secretas immutari, excuti ex tubulis, stagnantes, lentas ac viscidas moveri, dissipari, resolvi, & omnia omnium optime præstare, quæ supra in genere recensita sunt. Hæc eximia commoda quæ equitatio præstat, permoverunt Clariss. Baglivium, ut Popularibus suis, Urbis Romæ civibus, a malo Jove, aere nimirum humido & nebuloso pressis, eam ut summum arcanum contra ægrotudines ipsis adeo familiares commendaret. Specialius modo adducamus de hoc observatum Sanctorii vid. loc. cit. aph. 30. equitationem respicere magis perspirabile partium corporis supra lumbos, quam infra. Hincque inferam transpirationem per cutis poros præter alias excretiones, præsertim eam quæ per vesicam fit urinariam, æqualius promoveri. Quare hoc genus exercitationis, cætera albis (ut ajunt) præcur-

D

rere

rere eqvis mihi videtur, quod totum corpus omniaque eius membra laudabiliter exerceat, & ad quavis munia exercenda, facilia & expedita reddat, quodque omnis ætatis, omnis conditionis, sexus omnisque temperamenti hominibus, tranquillitatem amantibus, & animi impetus magis spectantibus, omni que tempore omni que fere loco convenit, & ad omnes modos peraccommodatum, vehementer, leviter, celeriter, tarde, mollius aut durius &c. instituendum. Puerilis ætas jam lenem equitationem optime ferre potest, ut modo Julius Cæsar exemplo esse potest, qui ut supra adductum est, in tenera ætate adhuc constitutus, eqvo insidere consuevit, eumque in orbem circumagere fortiter potuit. Siquidem & hodie nobis omne stat consilium cum Gumpelshaimero de Exercit. acad p. 228. ut omnia exercitia, ita & præsertim equitationem esse excolendam, antequam corporis habitus obdurescere incipiat. Puellis etiam equitationem Plato suo tempore præcepit. Præ omnibus autem aliis equitatio eaque frequentior & fortior, quadrat iis, qui spongiosum laxumque corporis habitum gerunt, & qui vasa habent angusta, quoniam in musculis debilis est circulatio sanguinis, unde & multa excrementa serosa, tartareo-salina in sanguine colliguntur, iisque quos sanguineo-phlegmaticos, & sanguineo-melancholicos, aut phlegmatico-melancholicos nominare. Præsertim etiam equitatio, ut Magnis Imperatoribus, Regibus, Principibus, Aulicis, Nobilibus, ingenuis & liberalibus hominibus, præ cæteris dignissimum exercitium, ita & medica æstimatione iisdem necessarium est, quoniam plurimi morbi, in sequentibus nominandi, per frequenter in aulis regnantes, per eam averti præcaverique possunt. Nec non fradenda ea præ aliis est iis, qui vitam agunt seden-

ta-

tariam, speculativam, studiis, lectionibus librorum, lucubrationibusq; assiduis deditam, curis publicarum aut privatarum rerum, sollicitudinibus, cogitationibus profundis, & administrationibus perpetuis, gravibus & molestis detentam atque constrictam, quoniam palam est, ejusmodi hominibus, ex vita sedentaria & laboribus animi immodicis phtisin, hydropem, morbum hypochondriacum & melancholicum, & viscerum obstructions, atrophiam, hecticam, scorbutum, colicam, nephritidem, arthritidem, aliosque morbos in sequentibus quoque recensendos, esse familiares. Accepimus, vide Casp. Lohenstein- Armin. P. II. p. 421. Germanos & Persas olim equitationem in tanto adeo pretio habuisse, ut dedecori ducerent curru uti, ubi equo vehi possent, atque Benzo in Hist. novi Orb. lib. 2. c. 8. notavit de Hispanis in America, quod eqvites semper felicissime rerum potiti sint, dum scribit: quæcunque loca pedestres adire Hispani, quæque equi penetrare non potuerunt, in iis semper ab Indis victi sunt. Eundem in modum sit mihi propemodum censendi jus, exercitationes corporis si quis vellet instituere, utilitati maxime sibi ducat, non alio modo quam equitatione (si datum sit) eas instituat, sicque feliciter optatum obtinebit effectum. Hinc & ea semper maximum remediorum genus habitata est. Celfo referente Lib. II. Cap. XIV. Aesclepiades trium tantum communium auxiliorum genera posuit, eqvitationem nempe frictionem & gestationem. Apud veteres, Xenophonte imprimis annotante, ac ipso Hippocrate, ut patet ex libris de Diæta, atque Antyllo, Ætio, Avicenna, Galeno, testibus, eqvitiatio commendatissima fuit. Qui ultimo loco nominatus Lib. II. c. 2. de tuend. valet: speciatim eqvitationem ad bonum corporis habitum conservandum, & recuperandam sanitatem, multum valere, confirmat. Sic & Æsculapius, ut apud Marc.

Antonin. Imperat. legitur, eam coordinavit. Hodie in Anglia præsertim, in frequentem remedii venit usum, ut constat ex observationibus & commendatione Anglorum, Sydenhamii, Pechei, Fulleri, Bagnardi aliorumq; doctissimorum Medicorum. Nec desunt alii clarissimi Medici, qui eqvitationem encomio suo illustant, ut inter Italos, Baglivius, & Germanos, Frid. Hoffmannus, & G. E. Stahlius eminent. Agnovit etiam hoc, eminent in omni literarum genere vir, Justus Lipsius, ut patet ex epistola 56. cent. 3. ubi ad amicos scribit, se alere eqvum & voluptati & valetudini. Hæc dicta atqve dicenda de motu & exercitio, quod eqvitatione perficitur, referuntur; Verbo modo quasi adhuc memoremus, quod multi non in postremis habent, robur atqve vigorem conciliare eqvitationem etiam, ob spirituum animalium, qui ab animali generoso & animoso eqvo proficiuntur, perceptionem.

## §. X.

Ex modo descriptis colligere licet, inter omnia reliqua exercitia & motiones corporis, exercitium tornatorium, Principibus atque Magnatibus hodie quoque familiare & gratum, eqvitationi propius aliqua ex parte accedere, quoniam in eo tornatores in sedili sedentes, super scamno tornatorio torno tornant, pedes sursum deorsumque movent, simulque abdomen, ac universum pene corpus hujusque musculos fere omnes, æquabiliter & ad æquilibrium magis, etsi non simul, alternatim tamen exercent, tollunt atque attollunt. Quod exercitium ideo commendandum venit iis, quibus alias eqvitatione uti minus licet, iisque, qui membra habent infirma, aut qui in abdomine & artubus sentiunt incommoda, qui malo hypochondriaco, obstructionibus lienis & hepatis tentantur.



tur. Exercitium tornatorium, in hac consideratione, sequitur curruvectio, quæ plurimis hodie magis placet, atque tanquam optima medicina, nec sine ulla prorsus ratione, probatur, quæ & Seneca aliàs anhelitu admodum difficili, quo premebatur, se liberavit. Nec eapropter quidam ullum discrimen inter equitationem & curruvectionem admittunt; sed antecedentia modo advertenti statim constabit, hæc duo exercitationis genera, licet aliquo modo sibi similia, tamen etiam dissimilia esse. Præter alias etiam rationes, quæ equitationem ab hac, & similibus motionibus distinguunt, etiam ea notabilis est, quod horologia portalia paucissima, quæ forte non validioribus e lateribus, beneque fabricatis rotulis sint instructa, equitationem sufferre possint; facile enim ex ea non æque vero curruvectione alterantur, & illorum motus vitiantur. Affinis ideo illi & per mare navigatio est, quæ æque ac equitatio, quoddam gestationis genus est. Ejusmodi licet etiam sint, cum equitatione tamen nunquam in comparisonem gloriæ referenda, ex rationibus potissimum supra commemoratis, ut alia commoda taceam. Aliquam quoque eo nomine affinitatem habent labores illorum, qui folles ad organa musica inflant, vel ad ignem fabrorum ferrariorum suscitant, aut rotas in officinis metallicis ducunt, atque textorum, qui in textrino sedentes insilia pedibus, alternativo motu calcant, item pannificum, ut & coriariorum, qui corium pedibus versant. Quibus laboribus nimirum pedes majori nisu sursum, & eo simul musculos & viscera abdominis attollunt; quæ vero mechanicæ occupationes suis potius relinquuntur.

## §. XI.

Utile quod spectamus, honestum decorumve atque eximia dignitas præclare commendat atque condecorat.

Regiam exercitationem non inconvenienter equitationem dixeris. Si quod enim exercitii genus, Imperatoribus, Regibus, Principibus, Heroibus, Aulicis, Nobilibus Virtutisque Amantibus conveniens, ex ipsius Serenissimi Angl. Regis Jacobi I. institut. L. III. p. 188. regia auctoritate equitatio certe præ omnibus aliis est. Hanc Principibus propriam quasi esse Carneades celebris Academicæ sectæ Philosophus, quondam dixit. Idem apud Franciscum Patricium de Regn. & Regis instit. lib. III. tit. 2. legitur, sequentibus verbis expressum: Omnium exercitationum, quæ ad futurum Regem pertinent, præcipua habenda est equitandi ratio. Siquidem & ab equitatione, omnesque dignitates & ordines, qui equestres vocantur, quibus nihil illustrius habetur, originem sumunt. Atque quondam Romanorum Reges in ipsis solennibus, Equites sunt creati, quem ritum præsertim graphice in Vita Wilhelmi, Comitis Hollandiæ, describunt Historici. Statuæ equestres hinc iis, novo pariter ac prisco ævo, statui consueverunt. Nec non ubique apud nos suspensâ modo epitaphiis & sepulchris Heroum ac Nobilium calcaria, ad equitationem pertinentia, in hanc contemplationem notabilia satis momenta sunt. In summis Principum Aulis, ludis Equestribus (quibus ibi nihil solennius aut dignius habetur) in hastiludiis & equiriis, in conventibus publicis, ingressibus, exceptionibus, nuptiis aliisque lætitiis publicis, nec non funerum solennitatibus aut exequiis multum gratiæ & decori venustæ & expeditæ artificiosæ equitationi accedit. Hæc certe tacitam etiam aliquam commendationem habet, varia solertia instructos equites videre, artem admirari, equorum indolem discernere, docilitatemque laudare, atque quando equites ipsi mutua inter se æmulatione delectantur. &c. Equiriorum apud Roma-

nos

nos celebritas tanta fuit, ut nullum spectaculum iis splendidius oculisque gratius edi potuerit. Hinc & adhuc Julio Casari laudi a Scriptoribus maxime ducitur, quod puer jam ad equitationem animum & corpus applicaverit, & agilem se præstiterit, ut & Alexandro M. qui industrius in equis tractandis fuerit, quare & miratus Rex Philippus desilientem aliquando ex equo, osculo excepit, dicens ei, aliud jam impar Regnum quære, Macedonia enim te non capit. Xenophon, cum Cyri R. castra sequi apud animum constitueret, equorum venationisque disciplinam prius summo studio adsecutus est, reputans, inutilem esse militem, qui in illis non magnopere versatus esset. Simile quid habet Stuckius in Carolo M. cum Presbyterium munus dignitatemque Episcopo conferret atque cum lætitia gestientem absque suppedaneo, uno impetu alacriter in equum insilientem conspiceret, statim revocavit, vales inquit, ut video, viribus, & eques haud malus es, opera itaque tua in bellis, ubi virtus tua eniteat, indigeo: proinde ignobili & imbecillo in ovium gregem dominium relinque. Ei pariter, ut & in universum Francis ab Eginhardo in vit. Carol. M. c. 22. ponitur in gloria simulque equitationi singulare decus accedit, scribente, Carolum M. exercuisse assidue equitationem ac venationem eamque illi gentilitium quoddam fuisse, quia vix ulla in terris natio esset inventa, quæ in hac arte Francis posset æquari. Nec in postremis est, quod apud Zonaram legitur, de Basilio ex fæce plebis alias nato, sed ob equitandi peritiam, Michaeli Balbo Græcorum Imperatori præprimis charo, adeo ut successorem constituerit illum; & quod Darius, Persarum Monarcha, & Primislaus Bohemiarum Rex, per equos suos summum imperium obtinuerint. Ute contrario equitationis imperito Ramiro Ar-

ra-

ragonæ Regnum, non alia ex causa est ereptum. Historici magnis extollunt laudibus Comitem Tyrol. Albertum, Teutonicam bellicosissimam alias nationem, in obsidione urbis Mediolanensis, anno 1158. dedecore vindicasse, a Longobardis illi adfecto, quod Teutones nempe equitare nescirent: vid. Zeiler. Epist. 314. p. m. 356. Apud Longobardos enim imprimis maxima fuit equitationis dignitas atque maxima illius, qui rei equestris curam apud eos gerebat In Vannefridii Tr. de gest. Longobard. Lib. 2. C. 9. p. 780. edit. grat. legitur, Alboinum Regem, Gifulphum, suum, Nepotem, virum per omnia idoneum, quem lingua propria Marpachis appellant, Foro-Julianæ civitati & toti Regioni illius Ducem præfecisse; ac de Cuniberto Rege dicit idem l. c. lib. 6. c. 6. p. 898. cum stratore suo intima communicasse consilia. Hinc etiam sine dubio (ut obiter hoc commemorem) procedit, quod hodie adhuc in summorum Regum ac Principum Aulis, Comitibus stabuli officium sit nobilissimum, uti apud Romanos, Longobardos, Germanos & in specie Gothos aliasque germanæ originis gentes fuit semper. Sic inter præcipuos Caroli M. Ministros, Comitem stabuli ponit Hinckmarus. Apud Persas & Parthos equo vehi, nobilitatem, a vulgo distinguebat, ut recenset Alexand. ab Alexandro Gen. dier. L. V. fol. 29. & in ludis Circensibus Romanorum pompæ ordinem sequentes, illi tantum equis vehebantur, quorum patres in equitum censu erant, ut habet Jul. Cæs. Bulengerus de Circo rom. p. 102. De eodem propemodum intelligendus est ille locus in sacris Ecclesiast. X. cap. v. 4. Vidi servos super equis insidentes tanquam Principes, Principes autem euntes tanquam servos supra terram. Nec abludunt alia ibi repertienda loca dignitatem, majestatem, potentiam atque glo-

gloriam significantia ut Apocal. cap. XIX. v. 11. & 14. ubi S. Johannes in Cælo equum album & verbum Dei ei infidens, atque totum cœlestem exercitum albis equis equitando insequentem vidit. Romani olim summo honori ducebant, quando alicui Heroi equestrem statuam ponebant, rati, Heroum gloriam per animal adeo nobile & generosum simul ostendentem, hanc maximum fastigium adipisci. Atque iidem pompas ad ludos Circenses equestres spectantes non solum hominibus, spectatoribus sed & ipsis Diis gratissimas esse, in quibus quotquot Deorum templa & simulacra in foro essent circumequitent, hos ludos sectantes, arbitrabantur. Hodie adhuc Regibus Persarum Legatos equitando admittere atque audire solenne est, quod & suo tempore factum esse P. de la Valle in Itiner: P. II. meminit, quem morem apud eos usitatum confirmat Legatus a Rege Persarum ad Regem Galliarum Ludovicum XIV. ante paucos saltem annos missus, de quo legimus, cum Rex Gallia ut adeundi eum potestatem ipsi faceret, currum regium obtulisset, Legatum vero negasse accipere eum atque dixisse, se nolle in latibulum se recipere (sic currum nominabat) equumque conscendisse equitemque Regem accessisse. Atque adeo isti Mahomedis affecta in paradiso magnam gaudii felicitatisque partem in equitando ponunt. Hic subit recordatio, me ab amico quodam, qui ante aliquot annos Legatum Regis Anglia Algeriam comitatus est, relatum habuisse, quod Praefectus ibi Turcius, Legatum in stabulum duxisset equosque suos monstrasset, ac optionem dedisset, ut sibi aliquem eorum eligeret, unicum saltem reservando, super quem eorum aliquando in Paradiso equitaturus esset. Neitschutz in Itiner. L. VII. c. 215. memorat de ingressu in urbem Hierosolymitanam, quod ibi adeo magni equita-

tio aestimaretur, ut nemo ex peregrinis & advenis Christianis in urbem equo vehi debeat. Notanter Plato illam liberum hominem cæteris decere, dixit in Lachete & in Hipp. memorat, post Hippocratis tempora illam semper magni aestimatam fuisse. Quam utile quam necessarium hoc exercitium a nostra Germanica gente semper habitum sit, satis superque constat, adeo ut proverbii quibusdam locum fecerit, quando alterum de sciente: Er ist in alle Sättel gerecht, alterum de ignorante, effertur: Er kan weder reden noch reiten. Rursus aliud non minus notum est quod dicitur: Wer viel fortkommen unter den Leuten, mus vier R. haben oder können Reden, Rechnen Rathen, Reiten. Adhæc est certe inter mirandas Potentissimi & Sapientissimi Dei rerum Opificis creaturas, non potestrema equus. Ut enim formosum maxime & docile pariter ac ad multos hominum usus longe utilissimum, & tam in pace quam in bello admodum necessarium, quo adeo admiranda & illustria opera efficiuntur, ita & formidabile animal est, adeo ut audaces satis censendi sint illi, qui equos indomitos primum conscendere, ausi sunt. Hinc & sine dubio veteres paganorum equitandi artem atque inventionem non hominibus, sed Diis adscripserunt: Siquidem ea Neptuno Hippius, ideo etiam dicto, ex Homeri Sophoclis, & Pausaniæ sententia acceptum est relata. Alii rursus magnis Regibus, Heroibus & Fortissimis hominibus hanc inventionis institutionisque gloriam attribuerunt ut Bellerophonti Regis Glauci filio, ut Plinius Sesostris Ægyptiorum Regi, Dicaarchus & Ælianus Amazonibus, secundum Lyfiæ mentem ea assignata est. Post Bellerophonem speciatim Thessalos iisque finitimos Lapithios in bello equitatione uti cœpisse eamque ob causam Centauros vocatos fuisse, Mercurialis habet

bet

bet Lib. III. c. 9. Hoc admirabile animal ejusque vires. Jobus jam notabiliter & differte descripsit dicens cap.,, XXXIX. v. 22-28. Num das eqvo robur? num vestis,, collum ejus fremitu? Num facis ut exultet sicut locu,, sta? Gloria naris ejus terror fodiunt in valle, tum gau,, det robore; exit adversus arma. Ridet timorem, & non,, consternatur: & non revertitur a facie gladii. Super illo,, sonat pharetra, fulgur hastæ & lanceæ. In concussione,, & commotione exhaurit terram: nec credit quum sonus,, buccinæ. Qvum buccina, dicit; hui: & e longinqvo o,, doratur prælium, fremitum principum & clamorem,, Alibi quoque eqvorum virtutes describuntur, ut apud,, Isidorum sic loquentem: vivacitas eqvorum multa: ex,, ultant enim in campis, odorantur bellum, excitantur,, fonitu tubæ ad prælium, voce accensi ad currum provo,, cantur, dolent cum victi fuerint exultant cum vicerint:,, quidam hostes in bello sentiunt: alii etiam proprios do,, minos recognoscunt obliti mansuetudinis, si irritentur. Xenophon de re eqvestri, equum nobilem & ingenuum appellat. Ob generositatem & animositatem suam ob quam etiam laudatur equus hinc sine dubio Marti belli Numini olim sacer erat, ac ei Romæ & in Oriente hinc inde gratæ victimæ loco immolatus. Hincque etiam signum & prærogativam Generosa Nobilitas ab equis accepit, & exinde atque ab equitando appellati sunt equites. Siquidem etiam Nobiles Generosi & excitati animi Equos & equitationem præ reliquis tanquam convenientissimam ipsis atque dignissimam occupationem juxta & oblectationem amant, uti in Nobili; maxime juventute statim videmus. Apud Silium Ital. lib. IV. bell. punic. quod obedienter sint dominorum vocibus equi laudantur Tunc stimulans grato plausæ cervicis honore Cornipedem alloquitur, vulgur Martemque minorem.

Item apud Ovidium fragm. quod fortitudinem & victoriam affectent, legitur.

Hic generosus honor & gloria major equorum  
 Nam capiunt animis palmam gaudentque triumpho:  
 Seu septem spatiis circo meruere coronam  
 Nonne vides victor, quanto sublimius altum  
 Attollat caput & vulgi se vendicet aura,

Apud Lucretium hæc habentur,  
 Quippe videbis eqvos fortes, cum membra jacebunt  
 In somnis sudare tamen spirareque sæpe,  
 Et quasi de palmis summas contendere vires.

In hanc rem notabile est, equum inter bruta solum in cerebro reti mirabili carere ut plena vis sanguinis mox ad interiora cerebri penetret, ex quo quia nempe in iis quadam pars sanguinis ob id, (rete mirabile præterlabitur priusquam sanguis ad ventriculos cerebri & plexum choroideum pervenerit, animalia ista minus generosa existere afferit Th. Crannen. de homine p. 390. Haud scio an aliud quoddam animal irrationale eqvo sit comparandum: Hinc veteres eqvos notabiles maximo modo ornaverunt ut Virgilius de Rege Latino refert Lib. VII. Æneid.

Jubet, ordine ducit  
 Instratos ostio Alipedes, pictisque tapetis  
 Aurea pectoribus demissa monilia perdent,  
 Tuti auro fuluum mandunt sub testibus aurum.

§. XII.

Mihi autem ulterius dispiciendi destinatum est, qualia & quanta commoda equitatio afferre possit. Ut vero ad investigandum hoc viam mihi muniam, necessum est, ut innuem, hujus exercitationis rationem differentiarum esse habendam, ne quid nimis fiat & intempestive neque frustra, sed cum recta subsequente efficacia, cum



equorum magnum sit discrimen & magnum ideo quoque equitationum. Ejus scil. modorum diversorum, variorum, constitutionum & conatuum actionumque conditiones sunt spectandæ. Hæ in leniores & graviores distingvendæ sunt, ac illæ his salubritate ut plurimum anteponuntur. Ex lenioribus equitatio gradaria est, quæ æquali nisu omnes corporis partes afficit ac quietum magis equitem tenet & movet, ac nullum virium decrementum ac corporis lassitudinem post se relinquit, adeoque universo corpori magis est proficua, & perspirationem imprimis æqualiter promovet; Hanc sequitur tolitilis, (Antrit, Pass) quæ equo leniter, celeriter, æqualiter & molliter, gradu incedente instituitur, quæ optima est, & succussionibus repetitis frequenter, quoniam celeriter, blande tamen & æqualiter equo atollitur eques, atque motus subfultorius blandus & tremulus in eo augetur. Ad hanc propemodum accedit ea, quæ fit equo saltibus quasi corrente (gallopiren;) licet equidem velociter ea fiat, placida tamen etiam esse potest, si nimirum equus est levis. Hoc equitationis genus & hoc commodum habet conjunctum, quod ex hac in aere commotione ventus lenis, quem equitantes hunc in modum sentiunt aerem ventilans ambientem illumque ad salubritatis modum redigens, simul efficiatur. Omnium vehementissima est ea, quæ cum contentione ac violentius equo trotante, aut succussorio magis duriter & vehementer sese agitante & inæqualiter instituitur, hæc quadrupedans alias dicitur ac molestissima, cum defultoria est. Rursus alia recto gradu & cursu sive recto itinere fit alia, quando equus in hanc vel illam partem vertitur aut in gyrum agitur gyrique sic diversimode hinc inde variantur quam flexuosam & circularem vocant, quæ etiam cum ea, quæ

cum variis & violentis equi saltibus est conjuncta, minus est conveniens, quoniam repentino vehementerque fit ac caput afficit, vertiginem excitat, pectus, adeoque anhelosos hæmoptysi obnoxios, qui pulmones in sæctos habent, offendit, ac facile rupturam vasorum potest afferre. Nec minorem his attentionem meretur acclivis declivisque, nimirum quæ fit per ascensum descensumque, per quam motus attollens adjuvatur augeturque, ac cum quadam varietate eques movetur, quare & talem corporis motionem Celsus de Medic. Cap. II. præ aliis laudat, ideoque ea præferenda qua per montosa collinaque loca itur, illa, quæ plana in regione instituitur. Tametsi non negandum est seorsim considerando, ut quemadmodum ea quæ per acclivia loca fit magis corpus attollitur, ita illam quæ per declivia descenditur, magis conquassare. Aliquam adhuc meretur commemorationem atque laudationem ea quæ per arva laxata ac emollita exercetur, quoniam motus ille attollens adeo laudabilis auctior redditur, dum equus altius pedes attollere per scissas vomere glebas cumulasque cogitur. Si & aratores terram sic scindentes equo tunc insequi velis aliud quoque beneficium haud contemnendum afferre tibi poterit, effluvia nempe illa ex terra tunc spirantia saluberrima, ore naribusque hauriendo: Hic enim spiritus terræ catholicus, salinus, acidulus ac analepticus est, qui recreat spiritus animales, motus præternaturales in corpore humano exortos componit ac longævitatem conciliat, Conf. Baco & Verulam. H. V. & M. p. 530. Ferrand. Imperat. Hist. N. lib. 8. c. 18. p. 289. Bagliv. Op. med. præct. p. 387. Equitantes omnes cæterum sibi caveant sedulo a cespitatoriis ac sternacibus equis, evitentque salebrosa loca. Porro perpendere oportet quantitatem,

tatem, tempus, occasionem &c. sed de his inferius explicatius agendum erit. Hoc loco paucis saltem adhuc indicandum est. Mediocre, lenem, gradariam, æqualem, tolutoriam, celerem leniter attenuare per insensibilem transpirationem expellere, salutaria Naturæ molimina quæcumque per narium hæmorrhogiam per hæmorrhoidem mensiumque fluxum &c. expedita reddere, secretiones juvare, excretiones facilitare, calorem modice suscitare &c. Validam vero equo vehementius se agitante, succussorio, &c. institutam musculos & nervos robustos efficere, sudores expellere, dissolvere, obstructionum claustra fortius perumpere, exsiccare &c. sicuti in genere de omnibus insuper exercitationibus dicendum est, mediocre & levem & quandoque in usum ductam ad valetudinem servandam, longævamque vitam contrahendam ut plurimum sufficere: paulo validiores vero & iteratas sæpius ac assiduas ad morbos graviore & pertinaciores curandos requiri, ita & de equitatione prope modum censendum esse, constat. Quæ cuivis morbo primario conveniat, per series in sequentibus observandas, deinde ubi necesse erit, indicabitur. Quantum & interstitium mulo aut camelo (quam ventionem Avicenna præfertim comprobat) quis vehatur, quoniam apud nos non usitata est, jam superfedeamus explanare. Insuper præsupponendum est, ut equitantes debite, ut equites decet, corpus teneant optime compositum, ut ante prospiciant utrisque femoribus equi costis concinne inhæreant, crura extendant, plantas pedum stapedibus paulo fortius figant, collum ac dorsi spinam rectam sustineant &c. nam v. gr. pronò corpore equitantes molestias certius sentient, ut videmus labores pronò corpore peragentes, caput cum omnibus sensuibus gravatum & infirmum sentire neque in-  
sta-

stabiles se gerant sed infixi firmiter sedeant alias citius affatum fatigatumque corpus, aliasque molestias experientur.

## §. XIII.

Sed nos de commodis equitationis acturos, equi fessores (ut ajunt) rapiant, rem quam habemus institutam prosequamur strictim. Me non monente jam quivis ejusmodi amans intelliget & expertus affirmabit, motu suo modoque agendi tractandique equum, equitationem, animum ingeniumque excitare oblectare, & voluptate, hilaritate & alacritate quadam longe majori aliis exercitationibus afficere, erigere atque firmare, tristes vero cogitationes & sollicitudines fugare, simul tamen etiam arduis rebus atque negotiis meditandis ansam atque occanem commodam suppeditare. Hoc Hispani proverbio eo ex parte indicant quo dicunt, quod equus equiti sit gratus comes quoniam equites inter equitandum ex equorum forma, pulchritudine, obsequio, docilitate, actionibus, exercitiis quæ secundum equitandi artem cum iis idem instituunt jucunditatem quandam & beneplacitum accipiunt. Equitationem vero præ aliis animi hilaritatem & fortitudinem addere, & instrumenta omnium sensuum purgare & acutiora reddere, Antyllus jam olim apud Oribasium Lib. IV. c. 24. notanter dixit, a quo non alienus Aetius quoque videtur Tetrable I. ferm. III. c. 7. & Galenus II. de T. S. c. II. Agilitatem pariter corporis ac robur atque vigorem ut ad omnes suos motus illud sit expeditum ac bene convenientem & concinnam membrorum corporis compositionem, formam & acretionem corporis, vultum colore vividiorem &c præstat quod in pueris ac adolescentibus videmus, qui si mature ad equitationem & saltationem se applicent, meliorem

cor-

corporis posituram sibi acquirunt. Habetur apud Romanos, equo publico qui in Capitolium vehebatur, eum in jus vocare neminem potuisse; sic jure dicendum est nobis; equitatione legitime qui utitur, eum sanum, vegetum & saluum; ac a morborum insultibus tutum atque immunem diu manere. Sydenham equitationem confortans maximum vocat, in opusculis suis p. 521. a quo non alienus est Pecheus, ut inferius mox patebit. Mich. Aloysius Sinapius in Paradoxis medicis p. 114. seq. non dubitat, Polonorum vigorem ac robur præter alias rationes, etiam frequentiori equitationi, quam exercent, adscribere. Dehinc & jactis his fundamentis, jam paulo fufius spectemus, quibus in morbis loco remedii, & optimi etiam remedii sit. In genere prius dicendum est, illam fere omnibus gravissimis spirituum nervorumq; affectibus, spasmodicis & convulsivis, de quibus consilium vide in celeberr. Frid. Hoffmanni Medic. Consult. P. IV. p. 120. qui a spirituum perverso & irregulari motu, per habitumque acquisito, insensisque partium quæ exquisite sentiunt, motusque vitales gubernant, stricturis, suos natales & origines ducunt, & chronicis tardis atq; inveteratis iis, qui ab insigni quadam partium solidarum, vasorumque movementium debilitate & hereditariis, incurabilibus alias rebellibus & pertinacibus morbis, iisque qui a copia, langvore, crassitie ac infarctu humorum in visceribus maxime obstructione, atque diu suppressis excretionibus proveniunt, item cachexiæ salinæ & serosæ, ac illi corporis statui ubi effoeta langvida & pene emortua massa humorum & spirituum primario peccat, & ubi sanguinis vigor deficit, optime mederi. Ingenue fatetur J. Pecheus in Promptuario med. præct. cap. 25. p. 154. esse nihil ex omnibus, quæ ipsi hæctenus innotuissent, quod adeo im-

105

F

penſe

penſe ſanguinem ſpiritusve ſoveat firmetque, ac diu multumque fere ſingulis diebus equo vehi. Hinc in corporis langvore ſpirituumque defectu Galenus equitationem commendat in Lib. de uteri cura. Fatetur idem Baglivius in Diſſert. de Tarant. incurabiles morbos chronicos, ſe equitatione ſola prorsus eliminaffe irritis omnibus aliis herculeis medicamentis &c. Atque ut curat morbos, ita quoque iis præſervat cum ſecundum Hippocratem in Lib. epid. quæ facta tollunt, ante facta fieri prohibent. Hæc generatim dicta adeo vera ſunt, ut conſtet, equites nullis aut certe pauciſſimis morbis recentis & fulius modo recensendis, ne quidem quoque obnoxios eſſe. Et ſi etiam adeo pertinaces & inveterati ſint morbi, ut eos equitatio penitus non auferre poſſit, ita tamen eos mitigat ea, ut facile tolerantur, nec magnopere functiones animi impediunt.

## §. XIV.

Aſt dicat quis forte otioſum & abſonum eſſe, equitationem in quamplurimis morbis commendare atq; paucam gratiam in Medicum, hoc remedii genus ſvadentem redire, facile & patior mihi perſvaderi, plurimis hodie plerumque inconveniens remedium videri, atque delicatulis rude audire, ignaræque plebi aut naſutulis hoc ridiculum eſſe, ſi quis Medicorum v. gr. colica habituali aut podagra, aut feбри quartana &c. laboranti proponeret, ut lectum relinqueret, equum conſcenderet, atque per aliquot milliaria equitaret, quod tamen a prudentibus nec modicæ auctoritatis viris factum eſt. Verum enim vero, cogitet mecum, cui hoc durum videretur, duro nodo, durum ſæpius quærendum cuneum eſſe, neque id adeo, ac quidem primo intuitu appareat factu difficile eſſe. Indulgeant etiam delicatuli genio ſuo, volutent ſe  
deſi.

desides mollibus in plumis, contemnant atque abhorreant hoc, equitationis rudes aut meticulosi nimis; certum tamen propemodum habeo, quod si v. gr. Nobili cuidam aut viro militari aliisque cordatis viris optio daretur, loco apozematum sive decoctorum herbarum, magnis haustibus ex Græcorum Arabumque speciosis commendationibus hauriendorum, aut thermarum aquarumque aliarum salubrium in disitis ac inviis locis quarendarum, aut nauseosorum pulverum, bolorum &c. ipso saltem auditu aut visu, miseris nauseam, averfationem planctusque incutientium, quotidie aliquoties deglutiendorum, equitationem potius instituendam sibi eligerent. Asserti hujus veritatem, possibilitatem & facilitatem commonstrat fidemque facit ipsa experientia in Anglia præsertim longo usu confirmata, loquuntur, confirmant ac svadent magni nominis Virorum testimonia atque auctoritates, in sequentibus suo loco commemorandæ. Interim & in antecessum attendant ac audiant cordatum Thom: Sydenhamium ac experientissimum Georg: Baglivium, ille nempe in Dissert. epistol. edit Lips. p. 522. cuidam in sacris Antistiti, affectu hypochondriaco gravissimo laboranti, omnibusque adeo multis variique generis medicamentis, per multos annos continuatis, incassum adhibitis, illisque partim morbo diuturno fracto, diarrhoea colliquativa (quæ in tabe aliisque morbis chronicis, ubi omnes omnino digestiones sunt prostratæ, mortem anteire solet) accedente, suavit, pharmacis nullum amplius locum relinquendum esse reputans, ut statim se equo vehendum curandumque traderet, modico primum itinere, quale ferre posset valetudo ita infirma, ut nisi iudicio valuisset, rerum interiora altius penetrante, nec ad tentandum quidem illud exercitii genus potuisset adduci; rogavit au-

tem, ut quotidie in eo peristeret, donec ex animi sententia conualesceret; nec sefellit consilium, sed fidem felix implevit eventus: nam non convaluit modo, sed satis validum etiam vegetumque corporis habitum exinde acquisivit sibi. Hic, Baglivius nempe Praxi med. Lib. I. p. m. 138: equitationem variis in morbis proponens ita loquitur. „Neque obstat quod æger sit nimium debilis & viribus adeo prostratis, ut ne quidem in lecto moveri valeat, siquidem in tali casu exercitium inchoandum primo erit rheda ad pauca stadia, exinde vero sensim ad plura milliaria equitatione absolvendum. „

## §. XV.

Jam ad rei coeptæ seriem veniamus, & illos specia-  
 lius adducamus morbos, in quibus singulare equitatio  
 se commendat remedium. Unde autem potius quam a  
 phthisi & tabe gravissimo ac periculosissimo morbo, mu-  
 sculosarum totius corporis fibrarum, tonum ac robur  
 omnium maxime evertente, ordiar? Quia certum est,  
 melius equitatione remedium vix haberi. Præsertim ad  
 ejusmodi apte quadrat, quæ fit ex hypochondriorum,  
 five primarum viarum ventriculi, intestinorum & visce-  
 rum abdominis, vitio induratione & obstructione nimi-  
 rum & circulo sanguinis tardiori quæ juxta M. Sanguine-  
 am subjectum causæ materialis constituunt, tamq; ad eam  
 quæ ab aliis morbis principalibus ictero, scorbuto, lue ve-  
 nerea, chlorosi, sputo sanguinis, ulceribus internis, & ex-  
 ternis, febribus, asthmate, variolis, hydrope, dysente-  
 ria, animi pathematibus, melancholia, utpote cum sit ut  
 plurimum secundaria, ac exercitii neglectum sapissime  
 causam remotam agnoscat (ut & ferme omnes morbi chro-  
 nici) dependet, quamq; ad eam quæ fit ex glandularum ob-  
 structione & intumescencia ipsorum, infarctu pulmonum,  
 quam



quam Rhases asthmaticam vocat, sique pulmones tuberculis scitent, si stagnatio ibi est feri corrupti. Nec non certam promittit medelam in ea, quæ ex nervorum vitio aliarumque partium solidarum earumque motu depravato juncta cum appetitu summe prostrato, virium langvore & atrophia, quæ Anglis nervosa dicitur, sanguinisque circulum ibi debitum omnino impediende, promanat. Imo in ipsa ex ulceratione pulmonum atque adeo consumptione, ac non modo leviori malo & gradu affectis, sed & consummatis jam, & pro deploratis habitis, non crebriori tantum tussi, non hæmoptysi & macie excruciatas, sed nocturnis jam sudoribus & diarrhæa colliquativa fere confectis, quæ præsentem modo mortem ante fores jam prænunciare solent, & esse ultimam lineam rerum, ut laudatissimus Autor Thomas Sydenhamius loquitur, simulq; hoc ipsum asserit, ex quotidiana, matutina tolutili equi gradu validiori quoque & incitatissime equo currente & diuturniori (cum etiam illa omnia lentius seu securius procedant & opitulentur) ad lenem usque sudorem in aere vel in aerem salubriorem proficiscendo, spes optima redit. Ideo etiam ejusmodi debiles admodum, viribusque adeo prostratis, ut ne quidem se movere valeant, ex lecto trahuntur & primum in rhedam deinde super equum ducuntur ut modo ex laudato Sydenhamio Lib. I. p. m. 138. audivimus. Phthisis enim eorum est morborum, quorum partem affectam pharmaca efficacissima alias, licet etiam eorum usus sit continuus, infracta nimis & debilitata attingunt; Quomodo enim pus efficaciter abstergent, aut saltem materiam tenacem impactam resolvent, cum tuberculis & ulceribus illis applicari nequeant. Et quomodo sanatio ac consolidatio fieri poterint, nisi pus prius fuerit bene mundifi-



dificatum, cum ut Galenus lib. 4. de l. aff. loquitur, externas quidem putridas partes abscindere & urere possimus; pulmonibus vero horum auxiliorum neutrum adhibere liceat. Ad hoc, medicamenta, quæ in phthisi adhiberi solent, licet adeo numerosa sint, paucissima tamen non suscepta, ob tenerrima & delicatissima pulmonum stamina (omnia enim ejusmodi cum mortificatione quadam licet etiam leviori agunt, quæ huic tamen pulmonum conditioni est infesta) inveniuntur, quod facile per omnes series dare possemus probatum, si diutius his immorari vellemus. Certe sive etiam mihi nomines expectorantia dicta vel pectoralia adeo laudata sub decoctorum forma, largissimis haustibus propinata, vel balsamica illa, sive temperata, sive acriora magis, sive vulneraria stringentia, sive etiam opium aut calces antimonii aut bolum fabrillem & hæmatitem & cum conserva rosarum, vel emulsiões amygdal: dulc: (egregia præ aliis virtute prædita medicamenta) &c. si & curam lactis addas, ac ne quid despecificis magis dicam, de pulmonibus vulpis, leporis, vituli, cum illorum hepate &c. (si illa specifica esse credas) si & tandem omnia & composita atque etiam decomposita, tot sirupos, conservas, looch, eclegmata pulverem Haly Abbatis adeo decantatum, Langianam tragam, & Mynsichti species diasaturni, aquas pectorales Dorncreilii aliaq; ejusmodi antiphthifica; ea tamen omnia inq; eo nomine vix ac ne vix quidem cum equitatione æquanda. Hinc, licet exquisitum ægri obsequium observent, rarius tamen hæc tabes aut nunq; ex assè sanatur, frequentius tantum mitigatur. Hæc enim ad eorum pertinent classem, de quibus Scaliger facete dixit, similes esse eos malis mulieribus quæ non nisi morte auferantur. Quod ingenue fatentur præ-

præ-

præter ipsum Hippocrat. lib. i. de morbis v. f. 2. t. 9. Galenus lib. 1. de loc. affect. c. 8. & l. 5. meth. meh. c. 1. & 8. Forest. l. 15. observat. 45. R. a. Fonseca Consult. med. t. 1. 58 t. 11. Consul 48. Scholzius in aphorif. med. sect. 7. 982. Bruno Seidelius lib. de morbis incurabil. p. 20. Bald. Thimæus à Guldenkleæ Epist. l. 11. epist. 2. & seqq. practicus prudens, circumspectus ac experientissimus haud erubescit confiteri; in tota sua praxi, quam per annos XXXVII. exercuit, se neminem ex iis, qui ulcere pulmonum affecti fuerint integræ sanitati restituere potuisse, etiamsi nihil intentatum reliquerit, neque ab aliis celeberrimis Medicis quenkam restitutum vidisse. Ego item ingenue confiteor, me ex plurimis phthisicis ut & in sequentibus nominandis, hecticis, atrophia laborantibus, vix unum & quidem maximo medicamentorum apparatu atque molimine servatum & ex assè restitutum nosse. Hanc difficultatem per medicamenta phthisin sanandi agnoscetes quondam ejusmodi ægros ex Celsi & Galeni consilio ad montem tabianum & Egyptum ablegabant. Etenim absterisionem, mundificationem, consolidationem, appositionem Natura primario magis & immediate hic perficere debet, hoc vero modo sic optime adjuncta citius efficaciusque perficiet, atque in pulmonibus sanguinis stagnatio efficaciter absolvitur ac ipsa sanies abstergitur & expellitur; vivus vero magis & circulans citius & ad extrema partium propellitur; teneriores fibræ harum partium, pulmonum, nimirum (quæ ceu viscus amplum vasculosumque membranosum, vesiculosum stagnationibus sanguinis & feri ob tonum & robur labefactatum valde obnoxii sunt, unde ad obstructions, exulcerationes & corruptiones aptissimi) firmantur, roborantur vivificanturque, ut excretioni materiæ peccantis mole-

molestantisque sint pares. Pariterque eo modo arman-  
 tur, ut ulteriori humorum stagnationi resistent, sicque  
 restitutio in integrum restituitur ac præservatio adorna-  
 tur optime. Eam Angli præsertim ob id maximo in hoc  
 morbo in pretio habent, inter quos gravem & corda-  
 tum Sydenhamium, si solum dixerimus, confecta aucto-  
 ritas erit procul dubio, qui equitationem Oper. p. 524.  
 & 781. supra alia remedia in tali affectu adeo extollit,  
 & merito quidem extollit, multipliciq; experientia affir-  
 mat, ut minus dubitet affirmare, esse equitationem in  
 phthisi remedium specificum sine pari, quo neque mer-  
 curius in lue venerea, neque cortex peruvianus in febribus  
 intermittentibus, aut ipecacuanhæ radix in dysenteria  
 efficacius aut certius, eoque magis necessarium, quo  
 laxius particulæ morbificæ, acres, in massa sanguinea cum  
 reliquis cohæreant, & quo æqualius eadem per emun-  
 ctoria quævis secerni debeant, quæ hujus morbi est con-  
 ditio, quæque exigit medela. Atque adeo pag. 574. Tr.  
 de podagra ex equitatione emolumentum ingens & quasi  
 stupendum & incredibile esse dicit, quod phthifici &  
 morbis chronicis detenti percipiunt. Succedat præ aliis  
 ex nostratibus Germanis, huic merito illius, nec modicæ  
 auctoritatis assensor Excellentissimus D. G. E. Stahl, Vir  
 in eruendis rerum medicarum veritate ac fundamentis  
 sicut diligens, ita acris, qui programmate quodam inau-  
 gurali novum specificum antiphthificum equitationem  
 vocat, ibique multa lectu digna de ejus efficacia insigni  
 affert, firmatque alio in loco Dissert. nimirum de motus  
 voluntarii usu med. §. 32. exemplo Herois cujusdam glo-  
 riosi nominis, qui sub infirmissima phthifico-hectica con-  
 stitutione, vehementia equitationis in venationibus non  
 solum longam vitam, sed & bonam valetudinem sibi com-  
 para-

-olom

para-

paravit. Stat quoque ejus apud me laus & commendatio, cum eximium usum in viro phthifico annis abhinc plus minus duobus comprobarim. Relatum habemus Lusitanos hac lue pulmonari, quæ apud eos endemia est, equitatione se immunes præstare. Hinc ob motum ejusmodi fere toluantem potissimum phthificis & hæmopticis navigatio per mare maximo quondam erat ex usu non minus ac leprosis, hydropicis, apoplecticis, stomachi infirmitatibus & inflationibus obnoxiiis vid. Avicenna II. Septentrionales gentiles (ut videre est ex Th. Barthol. de causa contem. Danis mort. Lib. II c. 8) falso credebant ad Valhallam (s. Hercum Paradisum) non nisi equis perveniri posse. Nos adductorum intuitu, potiori jure ratum habemus, phthificos ad salutem vix, nisi equitando, posse redire.

## §. XVI.

Verum non phthisi solum, sed & cæteris pectoris & pulmonum morbis equitatio moderate instituta egregiam fert opem, quoniam excrementa per pulmones emitti solita, per eam commodissime promoventur. Primum hic id genus morborum pulmonum ponam, quod vomica vocatur & a phthisi differt, quod in hac pulmones exulcerati sint, in illa apostema in eorum substantia residet: & quemadmodum exulceratos pulmones, ut modo est adductum, restituit, ita & abscessum in iis latitantem excernit, imo empyema quoque ex cavitate pectoris exturbat. Porro magnum levamen affert in asthma simplici imo & in convulsivo cujus rei testem adduco Baglivium in Oper. medic. præct. p. 38. Ex illo clarissimo Auctore confirmatur, in ejusmodi morborum genere equitationem optimam esse, quæ per arva recenter aratro culta, instituitur, quoniam & eques magis attolli-

G

tur,

tur, si equus super sulcos progreditur, & effluvia illa temperata, salina, subtilia ex glebis recens ruptis elata, ore naribusque hausta, refocillant, & pulmonum stamina relaxata roborant, visciditatesque, quæ obsident, quoque resolvunt atque expurgant. Notabile in vicinia nostra occurrit exemplum de viro asthmatico, qui, quoties paroxysmus accessit, equum conscendit, atque ad incalescentiam usque equitavit, & tunc tussi & fereatu calculos quosdam pisi magnitudinem æquantem e pulmonibus ejecit, & ab urgente hoc malo ad longum tempus se liberavit. Quemadmodum in tussi pectorali, chronica pertinaci, sicca, maxime exercitia optima sunt, ita & equitatio omnibus aliis hoc in casu diutina & longior palmam præripit confer. iterum de hoc Sydenhamius p. 307.

## §. XVII.

Juxta hoc morborum genus, nulli magis conveniens remedium, quam quotidiana æqualis, ad moderatos etiam quandoque sudores protracta, equitatio est, ubi præternaturalis corporis æstus laudabiles succos depascit, febribus lentis hecticis, quæ ex intestinorum saburra acida, lenta, viscida ibi collecta meatus obstruente ex perversa forte febrium intermittentium tractatione, nimio intempestivoque figentium, præcipitantium & adstringentium abusu, aut frigido potu calenti corpori infuso aut sudoribus scorbuticis retro pulsus &c. exsurgunt, sive etiam eadem ejusmodi sunt, quæ uti ex pulmonum, ita ex aliarum partium v. gr. hepatis, mesenterii &c. corruptionibus procedunt & lento gradu & calore vires vitamque consumunt, quæque alias medicamenta copiosa longaque serie longoque tempore continuata vix ferunt. Per hanc enim viscosus lentor sive effoetus chylus, qui vasa & habitum corporis jam infar-

cit,



cit, vel etiam putrida materia sanguine intime mixta influxum spirituum animalium solito majorem in cordis musculos, arterias irritando concitans, æquabili succussione efficacissime discontinuatur, abstergitur, excernitur atque Natura, roboratur, appetitus iterum restituitur, novus chylus laudabilis sanguinis ac humorum spiritaliscentia erigitur, & ejus circulatio libera atque æqualis redditur, viresque conservantur atque restituuntur, sanguinis & humorum textura ac mixtio tuetur. Expedi innuere, in lentis morbis equitationem auctam & frequentem apprime utilem esse; in hecticis vero strictè sic dictis, in quibus omnia symptomata jam sensibilia sunt & auctiora, moderationem magis convenire.

## §. XVIII.

Proximo dehinc jure statuendus affectus dolorque hypochondriacus, hominibus imprimis vitam sedentariam agentibus præ aliis infestus. Cum enim nihil adeo impense huic conferat, quam leniora & cordialia remedia motus & potus, &c. quæq; motum sanguinis hoc in morbo impeditum suscitare, viscidos humores hinc inde latentes discutere & transpirationem juvare possunt; Verum contrario remedia omnia ex pharmacopolio petita, præsertim violentiora, ut cathartica diuretica &c. pejorem reddunt eum spiritus & nervos potissimum occupantem: Nullum certe certius securiusque remedium contra hoc malum excogitari potest, quam equitatio, & quidem succussoria magis & fortior, quoniam omnis æquabilis & oscillatorius motus in intestina & viscera terminatur, quæ partim, partem constituunt affectam, partim suppeditant fomitem, ventriculum puto & intestina, diaphragma, oesophagum, mesenterium, pancreas, lienem, hepar, cum vasis sanguiferis, & vena portæ præsertim,

quippe hac potentissime infarctus & obstructions intestinæ tolluntur, vitiosus ventriculi & intestinorum tonus emendatur, motusque eorum peristalticus instauratur, & humorum massæ crassities atq; fixitas resolvitur atque subtilifatur, spasmodica affectio aufertur, secretiones laudabiliter iterum instituuntur, spirituum defectus restituitur. Multi hypochondriaci confirmati imprimis ex vita sedentaria tales facti & de quibus vulgo dicitur: Es müßte ihnen alles im Leibe zusammen gewachsen seyn, effectum certissimum sentientes, singulis exercitiis equitando institutis mihi levamen perceptum his verbis significaverunt: Sie fühlen daz alles im Leibe los werde, und daz es gleichsam durch den gantzen Leib gienge und sich bewege. Hoc testatur & probat aliquoties jam laudatus experientissimus Sydenhamius, qui Dissert. epist. de hystr. pass. p. m. 476. malum hypochondriacum hac sola, sine aliis remediis curatum esse, asserit. Ex equitatione diurna in viro hypochondriaco annotavi, humores nigricantes intermixto velut sanguine coagulato vomitu & secessu cum euphoria excretos esse. Quare equitatio præ aliis hominibus litteratis studiis deditis & speculativam agentibus vitam convenit, in quibus & simul optime sessio illa pessima, incurvato corpore, quam inter legendum scribendumque vix vitant, respirationem, motum diaphragmatis, & musculorum abdominis sufflaminans, avertitur & corrigitur, equites enim decet ut erectum corpus gerant. A malo hypochondriaco nomen sortitur suum melancholia hypochondriaca; sortitur & suam medelam, illamque optimam, ab equitatione, ut in illa illam instituere jubet Leonh. Fuchsius de curand. rat. p. 98. Frambesarius Canon. & Consult. med. Lib. II. p. 67. equitationem per loca amoena novarum re-

rum



rum plena & virida similiter svadet, ut anxix & tristes curæ animique angores pellantur, ac ut liberior & tranquillus animi status acquiratur, nam hoc genus morborum pharmaceuticis alias remediis vix obtemperare solet. Nec aliud sensit & scripsit Nic. Pifo de M. C. C. c. p. 88. Ejusdem pariter efficaciam leges in celeberr. F. Hoffmanni Med. Consult. P. IV. caf. VII. p. 55. Affectus huic affinis hysterica passio est; quæ nempe spiritus & nervos occupat remediaque ista violentiora maxime purgantia fortiora respuit, quæ ventriculi tonum & robur sanguinis; crasin destruunt atque evertunt: affine ergo & erit remedium, hanc enim equitationem nempe, hic maxime & notanter curru vectioni anteponit modo nominatus Nic. Pifo de m. c. & c. l. III. p. 394. a qua potius illam metuit & vomitum conf. Pecheus Prompt. med. c. 25. p. 154. Exinde haud dubitanter infero, non minorem causam esse, quod mulieres Anglicanæ, quæ equitationi æque ac mares sunt adfuetæ, non adeo hystericis ac hypochondriacis passionibus ac quidem nostrates, obnoxix sint, atque quod nostrates rusticanæ ac pauperes, laboribus durioribus vitam protrahentes, isto morbo nunquam corripiantur.

## §. XIX.

In discrimen jam propemodum venirem, an non inter morbos hac ratione tanquam universali remedio curandos, ut universalibus generalioribusque speciebus ex aetonia viscerum oriundis, ubi totus corporis habitus non laudabili & balsamico sanguine, sed corrupto, vappido & aquoso irrigatur, & fibræ exinde simul præter modum relaxantur, ac a robore & tono debito recedunt, atque speciatim nominando hydropi (medicorum scandalo æque ac phthisis cum podagra) anasaræ maxime, primus locus

fit concedendus, præsertim cum in genere dicendo ejusmodi ægri ut fugiant quietem & vitam sedentariam, admodum necesse est. Laudant hanc quam plurimi v. g. (ut plures non nominemus) Alex. Trallianus l. IX. c. 3. Fuchsius l. cit. p. 327. Bruel Med. p. 152. Ramazinus de Morbis Artif. c. 36. Hoc in malo præstantior equitatio habetur, si in sole fit, capite tamen rite tecto, aut velato, & ad largum etiam sudoris profluvium protrahitur, & excretio urinæ uberius simul procuratur. Ut propriam experientiam insuper addam, sequentem historiam describam. Vir quidam anasarca quondam laborans catharticonum frequentissimorum aliorum super alia cumulatorum exhibitione, subinde mulierum ac medicastro- rum suasu, adeo confectus & debilitatus, ut omnium corroborantium & diureticorum apparatus nequicquam efficere potuerit, inito consilio, in loco & oppido vicino Gr. ad equitationem pervenit, qua, exhibitis simul debitis diureticis, perfecte convaluit. In hydrope, ascite quoque J. Anglicus suadet, ut illa detenti super equum suaviter incedentem modicum equitent, adeatur Scholzii a Rosenau Conf. med. p. 362.

## §. XX.

Ad colicam biliosam pertinacem inveteratam sæpius recurrentem sanandam & persanandam fatetur experientis: Sydenham. l. c. p. 264. nihil adhuc præstantius unquam excogitari equitatione potuisse, longius protrahat, & in alias regiones usque instituat, post evacuationes sed debitas sufficienter peractas, nam inquit: „Hujusmodi enim exercitiis materia morbum committens in corporis habitum deducitur, & sanguis perpetua agitatione comminutus de novo quasi depuratur, ipsaque demum intestina caloris nativi excitatione haud parum corroboran-

rantur ac refocillantur: Nec pudet fateri, me dicto exercitio in partes adscito morbum hunc, cui alio quovis, modo devincendo par non fui, plus semel penitus expulisse. Pro scopo curatorio maxime laudatur in morbi (a qua causa etiam sit) declinatione. Notabile exemplum adducitur a Clariss. & accuratiss. J. N. Pechlino in observ. med. I III. N. 35. cujusdam colica ex obstructione laborantis, eadem methodo perfecte curati, quod etiam jam Aetius testatur Tetrabl. III. S. J. c. 5. & N. Pisco de c. & c. m. I. III. p. 242: §. 20. Expertus testor, singultum pertinacem sola equitatione paulo fortiori sapius feliciter, cito pariter ac jucunde fuisse sedatum.

## §. XXI.

Nec cum alio facile remedio unquam in comparatione efficaciam equitatio conferenda est, & quidem validissima ac succussans, (ut pote quæ ad obstructionum claustra adeo firma referanda humoresque in viscerum tubulis hinc inde stagnantes impactosque discutiendos satis potens est) in obstructionibus, indurationibus scirrhescentiis viscerum, hepatis, lienis, mesenterii, pancreatis. Æque scorbutum, illam notissimam & frequentissimam, altius firmissimeque humoribus inhærentem corruptionem quam expresse Hippocrates sub magnis lienibus videtur, a vitio viscerum quoque & exinde provenienti excrementorum copia, ab emunctoriis depurationi sanguinis inservientibus, obstructis, ut cutis, alvi, hepatis, lienis, renum, oriundam, avertit & abigit optime equitatio frequens ad modicos sudores usque protracta; in bilioso tamen & calido, (scorbuto) moderatior & gradaria, in frigido sic dicto, ubi nimirum pulsus magis est tardus, & horrores fixique dolores, impotentia motus, langvorque & rigor junguntur, velocior solutoria plus  
minus

minus concussoria & frequentior requiritur. Nam motu tali, imprimis motus sanguinis liberior redditur, benigna humoribus indoles inducitur, robur partibus solidis additur, necessariae secretiones & excretiones promoventur, quibus mediis curatio absolvitur ejus. Belgæ ideo in ictero eam magno in pretio habent, habent & illam Itali, inter quos Baglivius eminent, qui in omnibus obstructionibus intestinis eam herculeum remedium nominat, quam rem experientis Ramazzinus de morb. artif. cap. 35. confirmat, quando de equite quodam testatur, quod ex sola equitatione post perpeſſam periculosa febre ab inſequuto lienis morbo & imminente hydropo licet infirmus maxime intra unius mensis spatium liberatus fuerit. Ut concussoria & fortior obstructiones ejusmodi curat, coagulatum humorem jam resolvendo, & vasa à crudioribus & coagulationem inducentibus libera vacuaque præstat, ita lenior eas præcavet. Hic motus enim remissior licet, & intendit & armat fibrarum motricium tonum earumque vim, ac sic in glandulis viscerum, imo in omnibus partibus corporis impedit, ne omne fluidum sanguinis ibi hæreat, vel fluidior saltem ejus portio exprimitur, relicta crassiori parte, sed ut æqualiter refluant liquores, per convenientia vasa, egregiam symbolam addit. Sic in hepate puram bilem, & in pancreate succum ideo pancreaticum dictum, in aliis glandulis alios succos rite promovet.

## §. XXII.

Mire & præcavet equitatio calculum, valida & succussoria, tolutoria imprimis, tam vesicæ quam renum, in quibus, ut & vero simillimum esse videtur, futura calculi rudimenta & nuclei generantur & in vesica successive augmentum capiunt ac cortices super inducuntur,

tur, dum segregationem & transitum lotii accelerat, & simul cum eo materiam calculorum ejicit, hinc ordinario urinæ magis crassæ, turbidæ, rubræ redduntur, siquidem, quoniam ad ejusmodi concreciones mora requiritur, frequentior urinæ redditio, ad hunc scopum utilisissima est. Atque insuper renibus & vesicæ robur addit, ad ejiciendum humorem calculosum inibi hærentem, compertum enim habemus non modo ibi, sed & in aliis locis, uti multifariæ observationes testantur, calculos potissimum inveniri, ubi illarum partium observatur debilitas. Eam ideo & duriozem Joh. Zechius in Consult. p. 542. D. Cæs. de Molaræ Nobili Rom. diligentissime commendat. Ejusque hic efficaciam summam non satis deprædicare possum, expertus. Cæterum & congestionem sanguinis circa renes, ex qua illæ omnes nephriticæ passiones, obstructions, inflammationes, exulcerationes & concreciones dein proficiunt, utpote quæ sæpissime causam, materialem remotiorem pariter ac occasio-nalem & dispositionem, renalem substantiam corrumpentem, sicque ad calculum disponentem, constituunt, felicissime dissipat, aufert ac præcavet. Frequentissime enim (ut explicatius paulo loquar) sanguis in tubulis renum, quavis ex causâ etiam sit, stagnat ob copiam in progressu impeditus, unde illæ noxæ, hinc & ut plurimum nephritide, prius calculosi afficiuntur. Non solum vero præcavet, verum & curat, quando calculos jam factos non adeo quidem grandes, ex renibus pariter & vesicæ urinaria præcipitat, deturbat atque excernit. Inprimis, si in ductibus uretherum calculus restitet, equitatio eum juxta scalarum ascensionem, omnium potentissime promovet. Ast caveant sibi sedulo, ne calculus major justo subsit & angulosus, quod medici prudentis relictum ma-

-10113

H

neat

neat iudicio. Quod ipsi forte enasci poterit, ex accurata præteritorum & præsertim symptomatum, iuvantium & nocentium &c. collatione. Ut equitatio ad præservandum curandumque calculum facit, ita haut obscurum calculi ea potest suppeditare signum, ex Cardani consilio, quod sequentibus in Hippocr. Aphor. p. 467. indicat, inquit: „Cum volueris scire certius, an aliquis calculo vesicæ laboret, jube eum equitare, saltare exerceri, que vehementius, exhibe lapidem comminuentia, inde „subsidentia in urina inspicere, in qua si tribus aut quatuor „diebus pulvis appareat, lapis est durus, si lapidum frusta, & quasi arenæ, non autem arenæ tophus est, si nihil horum appareat, lapis procul dubio non est.„ Atque hoc in morbo Anglis, Gallis æque ac Helvetis nihil est solennius aut utilius. Idem sentiunt ac scribunt Avicenna l. III. F. 18. tr. II. J. Bechlinus obs. l. III. similiter in ipso calculi dolore illam suadet Theodosius in Epist. med. p. 369. His Auctorum testimoniis addo sequentem observatam historiam: Vir militaris robustus alias, adhuc vegeta ætate constitutus, calculo vesicæ acerbius quam alias excruciabatur, advocat medicum, qui advocans debita proponit applicatque remedia; sed majorem calculum animadvertens, parum grato prognostico hoc ipsi indicavit. Æger doloribus immanibus excruciatum sectionem optabat, quæ tamen ob chirurgi fati idonei ad hanc operationem, defectum non speranda erat, sequentes binas noctes extus linimentis emollientibus, & intus anodynis adhibitis, quietior transegit, nisi quod dolores subinde graviores magis senserit, tertia die ad vicinum pagum negociorum causa vocabatur, fati validum se credens ad hoc iter duorum milliarium, medico præsentibusque dissvadentibus, equum conscendit, vix emen-

emenſo unius milliariſ equitans ſpatio, doloribus longe tamen minoribus iterum & inferiorem partem magis occupantibus, eſt affectus, ac calculum haud parvum, quamvis non ſine miſtione cruenta, excrevit. Ac ſi non forte obveniret tædium, adhuc huic jungerem aliam: Nimirum juveni ſtudiis alias dedito, ſubinde de calculo conquerenti, per loca montoſa, anfractuoſa equiti iter facienti, derepente dolores calculi exorti ſunt acerbiffimi cum urinæ ſtillicidio, adeo, ut coactus fuerit equi ſiſtere gradum, exacto ſic circiter quadrantis horæ ſpatio, equo, invito interim equite, progreſſo, veſicæque regione ephippio duriter allifa, calculus ſat grandis cum urina ſanguinolenta, protrufus eſt. Quod de calculo dixi, etiam de ſuppreſſione urinæ omni aſſeveratione affirmo; hæc enim ſub equitatione feliciter ſolvitur, quia per eam perinæum efficacius afficitur. Idem etiam de ſtranguria & dyſuria tenendum eſt. Nec non ad præſervationem miſtus cruenti utiliter adhibetur, licet in paroxyſmo ejus incommoda ſit.

## §. XXIII.

Non minus auxilium affert ſtomacho, cum inteſtiniſ ac viſceribus reliquis; has enim partes præ omnibus aliis exercitiis firmat equitatio; hinc & in ejus debilitate ſumme eſt proficua, atque omnium optime medetur ſuccuſſoria imprimis appetitui proſtrato, anorexiæ, reliquisque in genere ſtomachi vitiis, ex viſcida & craſſa colluvie, debita ſecretionis partium earum laudabilium deſectu, quæ digerendis & ſolvendis compositis aptæ ſunt, ſpirituum animalium influxu impedito atque ſegniſori juſto oriundis. Cum ſcil. motum diaphragmatis ſimilem adaugeat reciprocum, qui ventriculum exagitat, calorem ejus accendit, ut ſolutio ciborum juvetur, qualis ad

omnes solutiones facilitandas confert multum, sanguinisque influi calorem adauget ac humores tenues & fluidos reddit, liberiores spirituum & sanguinis quoque in ventriculi, ut digestionis officinæ, tunicas, influxum concitat, motu tremulo optime glandulas ventriculi sollicitat, ut menstruum, ut ajunt, fecernant stillentque, contenta discontinuet, dividat, subigat. sicque digestio tota instituitur per eam melius atque omnium optime. Testes hujus rei si desideras, præter quotidianam experientiam tibi se sistunt. Plinius l. 28. c. 4. Aetius & Oribasius, F. Joel & Theodosius in Epistolis m. p. 269. Hic observatio illa memoratu digna videtur, quæ descripta à Wilhel. Derham. Angl. atque Philosoph. Transact. Angl. inserta reperitur Anno M. DCCXVI. sub tit. An. Account of the Mischiefs ensuing the Swallowing of the stones of bul-lace and slaes. Ibi enim refertur de seruo quodam, qui in juventute subinde multa pruna sylvestria cum nucleis deglutivit, qui per decem annos in ventriculo hæserunt, quo temporis spatio exacto, demum in affectum stomachi periculosissimum est dejectus, summum ur sit fastidium, a cibo assumpto summa stomachi gravitas fuit & præcordiorum tensio molestissima, neque retinere potuit ullum cibum, in dies crescit malum perniciemque propinquam adesse, medici putaverant, adhibita sunt varia etiam vomitoria eaque fortiora ac iterata; sed sine sperato successu, tandem crebriorem ac fortiorem equitando suaserunt motionem, per quam CXX. nucleos deglutitos vomitu una vice ejecit & successu dein temporis plures, ex quo bene se iterum habuit. Nec non in ventriculi & intestinorum inflatione magnopere prodest equitatio, maxime si corpus fasciis devincitur, flatus deorsum agentibus. Inprimis in iis qui expressione sanguinis in vena portæ  
con-



congesti proveniunt, per eam enim istæ partes, ad quas furculi venæ portæ excurrunt, afficiuntur varie, nam mox dilatantur, mox iterum constringuntur, ex quo atonia harum partium inducitur, ex qua deinceps status colliguntur facile. Aliqua & specialissima quædam hic debetur animadversio atque equitationis laudatio, affectus nimirum illius satis frequentis, licet a paucissimis observati, descripti ac nominati, cardialgico-splenetici alias barbæ mirachialis dicti. Scite tamen a Clariss. Stahl-lio in Dissert. de Vena Portæ Porta Malor. p. 42. indicati. Hæc enim passio in sanguineis subjectis maxime, & plethoricis moribus, & tensionibus in ventriculi regione ac angustis, anxietatibus, duritie abdominis & inflatulentia, nausea quandoque, imo vomitibus subsequenti- bus, & quæ tandem in tabido-hecticum statum, aut etiam intumescuntiam œdematosam ac ascitem abeunt, nisi fiat medela, se exerit. Causam agnoscunt hæc pathemata congestionem sanguinis circa vasa splenico-stomachica, quam ut & exorta exinde molestissima hæc symptomata, avertit atque propellit equitatio egregie. Dubius adhuc hæreo, ex ratione in sequentibus alleganda, quod nempe equites frequenter styptici sint, eum mihi non satis felix de eo eventus constet, an nimirum equitatio bene conveniat in pertinacibus alvi obstructionibus quibusvis, & in iliaca passione, quam tamen in hisce multi practico- rum, quemadmodum curru-vectionem commendant. In specie præcipiunt eam a sumto in medelam horum affe- ctuum mercurii vivi haustu, ut motu hoc vehementius celeriusque corpus moveatur. In iis vero alvi obstru- ctionibus, quæ fiunt ex contractione spasmodica, a pres- sione sanguinis in vena portæ hærentis, inductis atque in iis, quæ ex vita sedentaria & meditationibus & lucubra-

tionibus nimis proficiuntur, non habeo jam ambiguum affirmare, eam quoque utilem esse. Hac de re quia ejus interest hoc monendum occurrit, equites qui interdum in hoc & illud latus inter equitandum inclinant, femoraque quandoque levant alternatimque sic insident, minus alvi styplicitatem experiri, quemadmodum & sceminæ, quæ ad unum saltem latus, non divaricatis cruribus ephippio insident, de hac nullatenus conqueruntur, quod apud Anglos notissimum est. Interim hæc ipsa ratio monet movetque, ut credamus eam haud contemnendum in omnibus alvi fluxionibus morbificis levamen atque juvamen præstare.

## §. XXIV.

Nec dubium est, quin & reliquarum partium morbis egregiam conferat opem. Nimirum quod sc. Cæsar Aurelianus gravissimus, scriptor Lib. i. de morb. chron. cap. I. in cephalæa vectionem fertoriam, quam vocat, magnopere præcipit, in ejusmodi quoque malo, equitationem, quæ ex hoc genere est, jure meritoque admittere possumus. Eundem enim in modum, in dolore capitis ex frigore contracto, motu corporis, equo vecto, ut utatur æger perhibet atque hortatur L. Fuchsius jam citatus Tract. v. 19. In eodem ex frigida intemperie illam magni facit Alex. Trallianus L. I. c. X. Novum aliquod hujus rei exemplum addam, quod anno MDCCXV. in novellis sive diariis nostrorum temporum gallicis Lugdunensibus Batav. legi: in his enim, ut memoratu dignum erat scriptum Londino de die 30. April. quod Comes de Sunderland dolore capitis gravissimo variisque aliis capitis affectibus, ut vertigine &c. laborasset, quos ex assiduitate & studiis contraxisset sibi, ad quos amoliendos tandem omnibus irritis aliis remediis, frequentem equitationem  
iter

iter & commorationem in loco aliquo salubri X. vel XII. mill. Londino remoto suafissent medici, ex quo interjecto aliquot saltem dierum spatio, pristinae sanitati esset restitutus. In auditus gravitate, quemadmodum motiones plurimum conferunt (unde monente Hippocrate Epid. l. v. Text. VI. in surditate ambulare erit utile & manesurgere, ne somnus multus afferat gravitatem capitis, &c.) ita praer aliis eandem suadet idem lib. III. c. VI. Praeter ipsius Hippocratis nostri consilium Thomas Barthol. in Actis Haffn. Vol. v. Obs. CXXVI. observationes aliquot adducit, ad hanc rem apprime facientes: nam refert auditus difficultatem & dentium dolorem subsultu fuisse curatum; nobis vero jam constat subsultum corporis optime, convenientissime & commodissime per equitationem maxime eam, quae subsultoria dicitur, fieri, per quam equitationem materia peccans dentes vel aures occupans, aequae expellitur. Et ratione & exemplis notum est atque manifestum, homines qui catarrhis atque ophthalmiis humidis obnoxii sunt, non melius se praeservare posse, quam si saepius & modice aere tamen tranquillo equitent, quoniam recrementa serosa, humida, abundantia ac stagnantia a motus & transpirationis defectu exorta, quae causam horum affectuum constituunt atque originem, discutuntur. Affectus soporosos, temulentias, stupores capitis hoc nostrum remedium potenter discutit ac corrigit, cujus rei exemplum modo novissime in Nobili quodam vidi, qui equitando mane ab his incommodis se liberavit, & a periculosis casibus immunem se praestitit. Imo & ipsam apoplexiam & paralyfin simili modo adhibita equitatio, certius praecavet, & epilepsiam avertit. Ubi cunque etiam alias & convulsivi spasmodici motus, uti in his subsunt (apoplexiae enim validiori omni spasmodici

dici quid subesse ex vomitu plerumque vel antecedente, vel subsequente & contorsione convulsiva artuum sub ipso mali impetu hariolari licet) aptissime conducit equitatio. Ejusmodi enim stagnatio humorum acrium circa membranas &c. tollitur optime, novaque indoles, novusque motus spiritibus inducitur atque a forti illa agitatione, externa contraria, motus spasmodicus internus aliter determinatur, sufflaminatur atque sedatur. Conf. Galen. L. V. Aph. Comm. 7. Alexi Trallianus ex equitatione magnum auxilium promittit, si ea a leviori ad validiorem procedat. Ob hanc ipsam rationem, cordis palpitationem compefcit, ac sangvinem, polypum tandem inferentem, crassum, discutit, dissipatque. In omnibus ulceribus inveteratis, callofis, saniosis, recrudescentibus & fistulis mirum præstat, diu protracta & inprimis iter faciendo aerem mutando, equitatio. Lucem dictis scænerabitur evoluisse T. de Mayerne Consil. de phthisi, Aët. Hassn. Vol. 3. obs. 43. 476. Paræum lib. 10. c. 8. Ridlin Lin. med. an. 95. p. 256. sanies enim & acrimonia parietes ulcerum exedens atque absumens, & nutrimentum partis corrumpens impediensque ne illud iis apponatur sic removetur, sanguis dein purus continuo ad partes eodem modo appulsus cum lymphâ, rosida, blanda, viscidiuscula consolidationem felicius citiusque efficit; Equitatio certe hic plus valet, quam omnia balsamica & similia intus adhibita, utpote quæ lentius & imminutis eo perveniunt viribus. Hoc enim exulcerationibus solenne est, ut ad longum tempus præducantur, consolidatio vero citius dein subsequatur. Præterea constat expertis, omnia, quæ urinæ excretionem promovent, accelerare ulcerum vulnerumque curationem; equitationem vero urinæ fluxionem augere, superius jam est probatum.

Nec

Nec dubium est, quin & in scabie ferina & similibus affectionibus salinis acribus & cutis fœdationibus pertinacibus egregie, vehementior paulo conferat. Ut in hæmorrhoidibus obstructis molestissimis Angli expertam equitationem habent, ita & fœminæ Anglicæ in menstruæ purgationis difficultate, optimo cum successu illam in usum ducunt quotidianum. Quin imo in fluxu sanguinis hæmorrhoidali cum febre suadet Cornarius Comiti cuidam, vid. Conf. med. 19. p. 14. ut ad unam vel alteram horam equitet, quod ad ulteriorem observationem dirigatur, nihil ad minimum contradictorii subesse certissime persuasus sum, si utrumque malum ab obstructione suum ducat ortum, ut certe ut plurimum ducit. Quantum in chlorosi valeat succussoria, magis lubet sequenti affirmare observatione: scilicet memini cujusdam virginis primariæ cachecticæ chlorosi, per multos annos laborantis, quæ in secessu illo Anglicæ antennisimo in pago Ritschmont non procul à Londino, ut loco commodo & salubri per æstatem commorabatur, & quotidiebis equo incitatissime currente vehebatur, ex quo ingentem copiam corruptorum humorum ejecit, sicque subinde sine aliis remediis vividum & aspectu gratum faciei colorem & bonum corporis habitum sibi conciliavit.

## §. XXV.

Quod primum Aristoteles meminit Probl. XIII. Sect. IV. equites esse libidinosos, id in sequentibus temporibus per frequentem observationem pro vero est acceptum adeoque existimandum conjugatis venerem languidam & quidem feminis virilis defectum hujusque genitalis humoris legitimam minus secretionem & excretionem, ob lentorem indeque pendentem sterilitatem pas-

fis emolumentum haud vilis fiduciam exinde redire. Conf. Mercurialis de arte Gymnastica l. IV. c. 8. Etenim sub hac agitatione blanda imo quandoque succussante ac tremulo frictu, partes genitales cum vasibus suis omnibus adferentibus, preparantibus & deferentibus laudabiliter irritantur, ut ad hæc vasa commoveatur magis satis attritus arteriosus sanguis ac in testium complicata ex arteriis substantia secernatur purum vegetumque genitale liquamen suo tempore debite legitimeque excernendum. Commendant in hunc usum Christ. a Vega & Wilh. Insulanus lib. de ratione victus salubris cap. 15. Schenckius Obs. lib. 4. obs. 7. impotentia virili cuidam laboranti, notanter suadet, ut juxta reliquam, quam addit victus rationem, ante coenam trium horarum iter equestre peragat, per eamque feliciter fuisse ab ea liberatum scribit. Atque adeo Ferdinandus hist. 26. post benignam gonorrhæam ex equitatione priapismum ingentem observavit. Ob hunc motum etiam idem Aristoteles textrices mulieres quæ nimirum texendo æque ac in equitatione fit pedes, crura & infimam præsertim corporis regionem movent atque attollunt partesque contentas conquatunt ac calefaciunt, motuque hoc alternativo terunt confricantque genitalia, ex quo fervescunt & pruriunt, humoribus spiritibusque advocatis, libidinosas esse pronunciat. Ob similem rationem etiam saltatrices salacitati ut plurimum additas esse ab aliis censetur. Memorabile hinc præter alia est, apud veteres Germanos equum locodotis fuisse, atque tradidisse gentiles venerem equestrem ipsum filium Æneam vocasse, ac eam hujus modi sub effigie coluisse. Huic asserto obloquitur quidem Hippocrates. I. de a. & locis, & in libello de genitura, comprobaturque Nomadum exemplo, quibus ob frequentem equi-

equitationem fortiorem gestationemque continuam armorum ex lassitudine fere perpetua juxta regionem quam in habitant frigidam & humidam infœcundam, & habitum corporis quoque humidum & mollem, vel equina libido extingveretur, ideoque morbo, quem femineum vocat ea propter Herodotus, laborarent plurimi. At vero certe modo comparet, culpam non tam in equitationem quam in lassitudinem perpetuam, quæ venerem quoque deiicit, ac in regionem frigidam humidam & infœcundam rejiciendam esse; frigidus enim ær & humidus præter modum, partes genitales facile debilitat, & habitum quoque corporis humidum, mollem atque relaxatum efficit. Accedit quod simul commemorat summus hic Autor, paucissimas feras, easque justo parviores istam regionem alere. Plurimum adhuc & maximum addit conferre momentum concisionem vasorum pone utramque aurem & profusionem sanguinis arteriosi magnam (vox enim *Ελεβες*, in Hippocratis libris non de venis tantum, sed & de arteriis accipitur) quam ordinario instituerunt (& forte læsionem nervorum) quo remedio ipsis doloribus articulorum mederi voluerunt, occalescentiamque vasorum exinde sequutam; nam ob spirituum inopiam deinceps ad torpidum usque præ imbecillitate somnum feruntur, ut scimus a venæ sectionis abusu enervari debilitarique homines. Non longius jam consensum, quem quoque adducunt non nulli, aurium cum partibus genitalibus singularem, in probationem afferam sententiamque meam super addam, unde v. gr. Laurentius l. 8. anat. quæst. 4. de Jure consulto quodam memorat, qui præcepit ut latronibus aures præscindantur, ne latrunculos generent, quod forte veteres adduxit ut scortatoribus adulterisque aures abscinderent, ut a

lascivia & scedo facinore impedirentur. Nec inanis pro-  
 fus hæc conjectura est, Andrea Vesalio, si fidamus ob-  
 servanti, a sexta nervorum cerebri conjugatione nervos  
 numerosos descendere in testes & vasa feminalia & sectio-  
 nem venæ in malleolo infecundos reddere, cui senten-  
 tiæ subscribunt Valesius L.H. & Philos. c. & lib. II. &  
 controvers. 8. p. 72. perhibens sola arteriarum pone au-  
 res sectione, homines ad generandum impotentes reddi,  
 & Rad. a Castro vid. quæ ex quib. lib. IV c. 5. p. 262.  
 Hunc, harum partium, consensum cum aliis partibus  
 quoque confirmant aliæ Auctorum observationes, v. gr.  
 quando Jacob Fontanus l. a. ex in dorsum casu & per-  
 cussione super os sacrum, Hildanus de percussione ca-  
 pitis, Eph. N. C. anno 2. obs. 104. p. 177. impotentiam  
 virilem enatam fuisse, referunt. Ad hæc quoque facit,  
 si diutius fenticuli plures gestentur, observantibus Sen-  
 nerto lib. 3. Part. 9. Sect. 2. cap. 1. Mercato de morb.  
 mulier cap. 5. Joh. Varandæo lib. de morbis mulier. cap.  
 de sterilitate ad prolis generationem ineptos reddi ho-  
 mines. Insuper circa hanc ipsam rem notanter Carda-  
 nus Commendat: ad Hippocrat. de a. a. & l. advertit ex  
 ipso Hippocrate equitationem sine stapedibus quæ apud  
 Scythas tunc temporis nondum in usu erant, (hæc enim  
 imprimis succussoria incommoda plura infert, illa quæ  
 cum stapedibus instituitur) & coxarum dolores indu-  
 cere & genitalia maxime lædere, & testiculos præsertim  
 comprimere, contundere atque ad scirrositatem eos dis-  
 sponere ut scitissime jam ipse Hippocrates retulit l. 3. de  
 fracturis, corpus maxime debile reddi, musculis & ner-  
 vis femorum laborantibus. Hæc inquam si omnia con-  
 trahantur ac juste æstimentur, statim apparet equitatio-  
 nem moderatam ac convenientem hic non accusandam  
 esse,



esse, sed nimiam & inconvenientem, has partes & imprimis musculos penis, qui erectioni inserviunt, contundentem cuius rei non desunt Auctorum testimonia. In exemplum jam solum vocatur modo adductus Jacobus Fontanus Conf. 2. Ut viros equitatio hoc ipso respectu, ita & mulieres juvat, quo nomine Anglicanis ea probatur maxime; nimirum pari modo confert, ut ad muliebria ovaria sanguis per destinatas arterias hoc modo attritus debite sanguis transeat, & secretio exinde partium delineationi fetus in vesicula aptarum fiat commode, quo medio atque remedio ovuli sterilitas, vel monstrosa partium formatio aliaque vitia ejus præcaventur, impediuntur ac evertuntur. In præsens memorabile est quod Hippocrates in lib. de a. a. & l. de scytharum mulieribus dicit, eas nulla exercitatione corporis uti, atque ideo esse non admodum fecundas; famulas vero propter exercitationem juxta gracilitatem carnis, concipere frequentius. Hic tandem quoque dehydrocelico feliciter equitatione curato exemplum proponam, in quo compressione facta exinde sero extravasato per peritonæi processum in abdominis cavum protruso, aliquoties tamen recidivam passo, equitatione iterum instituta, tumor discussus est.

## §. XXVI.

Perinde & in artuum morbis, membris paralyti affectis, maxime admodum aucta (corporis enim conquisatio ejusmodi mire hic valet) in rheumatismatibus tam potissimum quidem præservandis, quam etiam curandis, commendanda venit, etiam licet primum augeantur dolores. Sic in malo ischiadico expertissimum illam esse remedium, observationes testantur. Hinc scite inde coxas firmari ac roborari Plinius lib. 28. cap. 4. & femora, Joel

perhibent: Themison tunc ante omnia equitare consului ejusmodi ægrotantibus, quo magis ob vehementiam motus vexationem faciat, ut memorat Cælius Aurel. Tard. pass. l. V. c. 1. Non aliter scripsit Theodosius Priscianus lib. II. c. 34. ischiadicos & rhevmatismatibus excruciatos, & scorbuticos itineribus, laboribus coactis, juvandos esse iisdemque expedire vectionem equi. Angli (ut ipse apud illos observavi) ad brachia & manus sic laborantes & paralyticas firmandas & juvandas convenienter satis in anteriori sedis & ephippii parte pulvinar ponunt, cui innituntur, ac pedes stapedibus; & majorem exinde fructum percipiunt, cum motus succussorius has partes exactius afficiat. Nec ideo veritati jam fucum faciam si dixerim equitationem valere in arthritide & speciatim, podagra, ut pote in qua iterum medicamenta sæpius spem conceptam fallunt, & in qua facilis per ea ipsa ad interitum gradus est. Qua de re ita clariss. Sydenhamius scribit: Fidenter assero multa & longe observatione suffultus, maximam partem eorum qui podagra periisse putantur, non tam ipso morbo, quam sublesta atque indebita medicatione fuisse peremptos. Quæ verba loco ulterioris explicationis illius, quod indicare volui, sint. Præcavet certe & curat singula hæc morborum genera equitatio, dum potissimum salia morbosa humorum ex imbecillitate viscerum & roboris virium defectu, per debita emunctoria non secreta, ut eliminantur, robur additur. Exindeve mox apparet indicium & judicium, quod constet podagram communiter invadere eos, qui pathemata circa abdomen, colicam, cardialgiam, obstructions viscerum & similes morbos experiuntur, illamque præcordiorum angustiam, asthma, gravedinem & similia comitari. Conf. Galenus l. 6. aph. c. 28. ubi affir-

affirmat: Exercitationem podagram fieri prohibere, & Sydenham. Tract. de podagra p. 591. Immo quotidie longeque in usum ducta & validior quoque pro subiecti natura & indole tamen temperata non solum generationem tophorum impedit, sed & generatos jam, imo inveteratos & induratos solvit, ut idem testatur l. c. Hanc adeo extollit, Clarissimus ille Anglus (Sydenhamius) ut spondeat, quod si cui innotesceret medicina, quam & celare vellet, æque efficax in hoc morbo atque est equitatio constans & assidua, opes sibi exinde amplissimas facile posse cumulare. Equidem fateor supervacuum hoc consilium hoc in passu maxime plurimis videri cum equitationem & pedum instapedes repositionem cum doloribus podagricis vix convenire appareat; Verum cogites vix molestum molestia abigi, perfer & obdura, dolor hic tibi proderit olim: multa siquidem & aspera sunt, quæ tamen sanitatis spe libenter admittimus, & licet primo aliquatam afferant molestiam, sensim tamen sensimque continuata non amplius ejusmodi causabitur, cum natura facile iis soleat assuescere atque aliis. Nostra hac ætate adhuc notus est Vir Generosus & Perstrenuus bene Severi Imperatoris sententiæ memor; caput imperet non pedes Dom. Ge. de-R. qui dolores sentiens podagricos statim, quovis etiam sit tempore electo surgit equumque volucrem conscendit & equitando his doloribus pertinacibus alias se immunem præstat. Perutile etiam consilium fuit iterum iterumque hic commendandum quod Nobili cuidam podagræ subinde obnoxio, pro ea avertenda suppeditavi: suasi nimirum, ut quando urinæ fluxus imminutionem sentiret (quæ urinæ imminutio ut plurimum alias signum adventantis paroxysmi podagrici est) statim per aliquot horas equitaret usquedum hæc

hæc excretio iterum flueret, quo observato ab hoc malo per octo jam annos liber mansit. Etenim existimo quietem, quando ad illam trahuntur podagrici, ideo illis maxime nocere, quia humoribus ob motus defectum magis subsistentibus imbecillitatem augmentibus, impuritates magis magisque cumulantur, ex quibus cumulatis malum subinde crescit. Materia namque arthritica profundius hæret intra membranas aut ligamenta artus, simis fibris contexta, ut ideo majori & frequentiori motu opus habeant, si corrigi ad excretionem disponi & eliminari debeant. Amplius existimo ex diuturniore affectu arthritico atque podagrico detenti, si quieti nimium indulgeant eos variis quoque morbis insequentibus aut concomitantibus reddi obnoxios, siquidem ordinario videmus podagricos longiori decubitu fieri quoque calculosos. Non solum efficacius & certius, sed & tutius hoc remedium est, cum non solum artus, sed & viscera moveat, nam compertum mihi est, atque ab aliis annotatum illas motiones quæ pedes saltem valentius movent v. gr. nimiam ambulationem podagram in abdomen repellere, ibique viscerum inflammationes & sphacelum quandoque inducere, quæ vero simul eo modo avertuntur. Commode jam consilii Celsi recorder: Si cui, inquietis, dolere nervi solent, huic, quantum fieri potest exercendum. Majorem hinc podagricorum numerum inter voluptuosos, delicatulos in otio viventes, & qui lectica portatili vehuntur, reperimus. Equidem adversari sibi ipsi videtur, quando alio in loco scribit l. 4. c. 26. cui genua dolent, equitare omnium inimicissimum est & c. c. 27. equitare podagricis alienum. Dicatque Hippocrates ipse l. de a. a. & l. c. 11. femorum pedumve diuturnos labores oriri ab equitatione exemplo Scytharum

tharum paulo ante commemorato, qui vehementer agrotabant, claudicabant & coxendices ipsis contrahebantur. Iterum iterumque largiamur hoc facile ipsi, cruribus divaricatis, & pendentibus pedibus per frequentem nimis & concussoriam duramque, maxime incommoda contrahi; inventis tamen hodie, atque ubique natis stapedibus, de quibus Septalius videndus, in Comment. ad Hipp. de a. a. & l. vel conductos stratores, quos vocabant alebant, qui equos conscendentes ministerio suo juvabant, quibus sistuntur pedes firmiter, sustentanturque cum toto corpore, factum est, quod antea metuebant, ut id nunc amplius non adeo metuamus. Scythis enim, si ad antecedentia paululum respicere velimus, adeoq; & Hippocrati atque Romanis dein, tunc adhuc ignoti erant, loco enim horum, vel in viis eminentes lapides positi erant, quos ascendebant, quorum Plutarchus in Gracchis, & Xenophon in Hipparcho mentionem facit, quorum aliqui, in via Appia præsertim alibique hodie adhuc videntur. Lassitudinem artuum, a lenta sanguinis circulatione, phlegmaticisque cummulatis humoribus, omnium optime equitatio aufert. His ita animadvertis, notare non inutile est, Anglis, Helveticis, equitationem in pedum luxationibus esse probatam, quoniam motu illo partes luxatæ iterum commode reponuntur.

## §. XXVII.

Ferunt, ac ut rarum quoddam notant Telephum & Peliam ab equa enutritos esse. Nobis dicendum est: ab equis, si iis vehantur modica scil. equitatione, macie confectos & graciles, ut & atrophiam vel ariduram partium & nutritione earum depravata ægre se habentes, & spina ventosa rariori & Anglis quondam endemio, sive etiam pri-

K

maria

maria ac nervosa appellata, id est, quæ ex vitio fit nervorum eorumque perverso & spirituum animalium statu præternaturali, sive secundaria magis ex hypochondriorum labe, laborantes, augmentum aut emolumentum atque medelam capere, dum ex equitatione non modo tonus & robur atque blanda strictura partium, debita iis maxime ad nutritionem necessaria accedit; sed nutrimentum & roridus vapor, per illam ad partes madidas & turgidas magis transmittitur, assimilatur & corpus redditur compactius, aut confusa appositio corrigitur atque avertitur. Conf. B. Morton Phthisiol. p. 6. ut & Glissonius de Rhachit: Charleton Ex. pathol. X. Mayow. Dolæus in Encycl. sanguinis enim circulus præcipua causa nutritionis & augmenti corporum est, quod maxime a repletionem tubulorum a succis dependet, quoniam per motum progressivum nutritius succus per arterias ad partes mox iis assimilandus adducitur. Ad hoc quoque scire licet, ad soliditatem partium conciliandam necessarium esse, augeatur vis motrix & elastica, quæ expandendo succos in partium poros adigat, & quasi incunect. Vim hanc elasticam atque expandentem in nutritione vegetabilium manifeste deprehendimus, quæ succrescentia vicina contigua & circumposita corpora, eaq; sat ponderosa, dura & compacta, solida, ut lapillos, frustula ligni & vitri, testæ &c. submovent atque diruunt. Exinde etiam per se intelligitur, assiduam equitationem impedire, ne carunculæ aliqua in parte, ejusque superficie aut cavitate interiori, in canaliculis &c. inordinate excrescant, & ne verucae, polypi & in pedibus tophi, molæ in uteris muliebribus generentur. Quod scribenti mihi venit in mentem locus à Suetonio notatus: cum in Germanico Imp. R. formæ minus congrueret gracilitas

litas crurum, eam paulatim repletam fuisse assidua post cibum equitatione; Crura enim in equitatione super stapedes præsertim hodie usitatos, multum intenta atque infixa, multum exercentur; membra vero bene sapiusque exercita, ut ex supra jam adductis constat, crassa, ampla ac fortia magis redduntur. E contra etiam, ubi extenuatio proposita est, ut in obesitate nimia ac monstrosa, æque conducit, ubi præsertim eò devenit corpus, ut nec ingredi sine molestia, nec sedere propter ventris molem, nec respirare libere sic vitatus homo possit, quod vitium curandum non levissimum unum ex officiis medici est, ut Galenus ait Opp. T. VI. lib. 14. text. 15. Præter id genus monstra quandoque extenuanda etiam corpora sunt; quod Hippocrates præcipit, quando ex eam athletarum tanquam periculosam tollendam esse, existimat; si autem fortior extenuandi causa equitatio suscipitur imo fortissima diuturnior, sapissime ac quotidie iterata omnino requiritur, & ad sudores usque largos protracta, ut superflui, alibiles succi & ipsa corporis pinguedo atterantur, & attenuentur mediante motu valido, & in auras insensibiliter resolvantur; Quo modo (ut fertur) Nicomachum Smyrnæum ea crassitie conspicuum, ut ne posteriora quidem tangere, neque se movere possit, Æsculapius curavit. Hæc ut illustrentur, sisto illud Hippocratis dictum l. de sal. diæt. pingues, qui graciles fieri volunt, omnes labores jejuni facere debent, & cibos assumere anhelantes adhuc ex fætigatione, & rursus illud l. 6. epid. Extenuatio fieri debet motu nimio & exiguo cibo, refectio motu moderato & cibo multo, conservatio utriusque moderatur.

## §. XXVIII.

Quando exercent febres intermittentes diuturna  
K 2
rebel-

rebelles, equitando quoque exerceatur corpus. Eæ enim, secundum meam quidem sententiam, ac ut verisimile est, oriuntur primum ex pororum cutis obstructione, viscida crassaque materia, & inde facta constrictione & repulsione humorum a peripheria ad centrum, tonoque simul vitiato, spasmoque dein vasorum sangviferorum & nervorum circulationem humorum sic alterante, inducto, quare in illorum reseratione, perspiratione materiæ peccantis viscidæ, falsæ, subactione spasmi, canaliculorum compositione & toni restitutione, curationis præcipuum quoque momentum ponitur, quod optime æqua equitatio præstat, non solum vero placida, mediocris, sed & si causæ contumacia id exigit, valida, succussoria, & ea quæ cum contentione fit & in circulum actione. Inter quas, quanto pertinacior quartana, tanto commendatior hujus usus est. Galli imprimis in paroxysmo instante, pro hac illam instituunt, posteaquam vinum generosum (moschatum præ aliis suadent,) sat large in quantitate biberint, tamdiuque ea corpus commovent, usque dum largiter sudore perfundantur; siquidem ejusmodi curationis methodum felici successu aliquando me Parisiis commorantem, in juvene Germanico quartana pertinaci vexato, vidisse recordor. Recordor tamen etiam simul, ex immoderata & vini generosi simul potatione, Nobilem Juvenem Anglum, plethoricum, ibi tunc quoque degentem, ex febris simplici tertiana, in continuam, deliria & alia gravia symptomata incidisse. Refert ad institutum, & ad auctoritatem comparandam adducere observationem XXXV. Cl Pechlini, qua cujusdam quartana inveterata laborantis, mentionem facit, qui medicamentis tandem pertæsus, paroxysmo appropinquante, equo aspero & parum domito vehebatur atque magno nisu oblectabatur ferocia



ciæ ejus, quo febrem hanc contumacem penitus fugavit. Ejusmodi remedii genus, laboribus & exercitiis fortioribus nimirum, similem incipientem præsertim morbum abigere, Aſclepiades affirmavit. Quid? quod ipſe præcipue quoque ipſa (equitatione) uſus eſt in febrî ardente vehementi, adhuc tamen recenti, ut refert Celfus lib. II. cap. 15. quod ego equidem hodie non facile ſuaderem. Cæterum cum blando & uniformi motu ad ſuave ſomnum invitetur, equitatio lenis & gradaria ſomnum læſum aut amiſſum corrigere & reſtituere poterit, M. A. Sinapius in Parad. med. P. II. p. 109. refert: Tartaros de luce venerea ſuſpectos, corpora ſua longis equitationibus ad ſudores largos uſque exercere, junctâ inedia & pulvere calami aromatici ſapius exhibito, iisque remedii hanc lucem depellere. Quantum valere poſſit præſervatione contra morbos contagioſos, hic ſaltem annotaſſe ſufficiat, quod Rhafis nobis refert: contigiffè in quadam peſte, ut cum fere omnes perirent, ſoli equites venatores ob ſummam valetudinem aſſiduâ exercitationibus partam, incolumes evaſerint: Ad hoc referunt experti, equites milites peditibus, familiaribus aliis morbis & epidemice graſſantibus in caſtris febribus malignis, petechialibus morbo hungarico, dyſenteria &c. minus vexari.

## §. XXIX

Sigillatim indicandum eſt, equitationem omnibus aliis remediis antepoſendam eſſe, in illis morbis pertinacibus qui ab animi pathematibus, ut diuturno angore animi atque moerore & triftitia oriuntur, quæ plus adhuc afferunt mali, de quo teſtis eſt Exper. Baglivius in Diſſert. de Tarant. c. 7. & Prax. med. lib. I. cap. XIII. §. IV. Angli quoque ejusmodi in caſibus non ſatis hanc poſſunt laudare. Quippe hæc maxime in partes nervoſas,

& quæ sensibus & motibus sunt dicata agunt, repetitis spasmis eas afficiunt, earum robur ac motum violant planeque immutant, singularemque in chylicationis officinam exercent tyrannidem: nam per illa mire tonus ventriculi & intestinorum labefactatur ac destruitur, eoque alimentorum digestio, secretio, excretio, turbatur, laudabiles succi omnes, maxime spiritus animales, consumuntur, iisque alienus perversus & turbulentus motus infertur, spirituaſcentia impeditur, & reliqua humorum massa singulari langvore notatur, sicque universi corporis vires solvuntur, obstructions gignuntur, ideoque aut graves producuntur morbi, aut benigni alias eique leviores & insanabiles atque lethales redduntur. Hos alienos atque perversos motus, hic laudabilis per equitationem motus corrigit, aliam determinationem, ab extra sic advenientem inducit & inordinatam atque perversam componit, fluidi nervei influxum interceptum restituit, sanguinem, cum reliquis humoribus temperate movet. Certior exinde sperandus effectus, si equitando iter ad alium locum ejusmodi affectuum intemperantia læsi instituatur, ubi relicto, quod turbavit objecto mutatione ac novitate loci simul recreantur, ad verforum vero obliviscuntur. Talis instituti ratio his in casibus omni medicamentorum apparatus longe est anteferenda, cum perspectum sit, quod in his remedia ex pharmacopolio petita, licet etiam mihi nomines species lætificantes Galeni aliaque, parum aut nihil proficiant. Ut hos motus anomalos, sic inductos ejusmodi corporis motus corrigit præſentes, ita & contra futuros manire animum potest, quippe animi affectuum ea indoles est, ut levi ex causa facile suos motus irregulares repetant. Qui semel animi mœrore magno longoque est

con-

contristatus, aut metu ac horrore paulo sapius perturbatus, aut iracundia accensus præter voluntatem deinde levi occasione frequenter sic afficitur. Ratio ex modo dictis jam patet, & antecedentia persuadent, ubi est indicatum, equitationem hilaritatem quandam & fortitudinem animo addere.

## §. XXX.

Cum merito equitatio confortans maximum a Clarissimo Sydenhamio sapius adeo laudato salutetur, nullum dubium superest, quin vires pristinas per eandem recuperare feliciter possint, a longis & pertinacibus morbis debilitati, convalescentes præsertim, cum ita cum iis comparatum sit, quod si corpora sua non leniter subinde exerceant, ut parcius lentiusque, aut vix integras vires recuperent, aut hoc ipso morbos revocent: ut enim omnia recte in corpore humano peragantur, motus omnino necessarius est, & tunc egregius equitationis imprimis est usus, gradaria lenis quidem placida sapius, sed non diu una vice in usum ductæ. Nominandi hic sunt speciatim phthisin, febres tertianas & quartanas pertinaces, gonorrhœam veram, largam hæmorrhagiam, dysenteriam perpeffi, universo corpore imbecillo exsangvique facto. Talis placida & modica equitatio, præsertim in aduetis vires deperditas exhaustasque certe & mire refarciet, appetitum penitus destructum restituet, digestio ciborum & distributio alimenti debita succedet efficietque, ut citius pristinus redeat vigor, & recidivæ quas vocant, & morbi, qui alias non raro convalescentibus accidere solent, avertentur: haud alia ratione quam quod lentores a morbo relictos dividat, digestionem revocet, calorem naturalem suscitet, sangvificationem & novi bonique sangvinis influxum, spirituoscentiam adjuvet & tonum laxatum restituat.

§. XXXI.

## §. XXXI.

Neque penitus obliuiscendus est alius equitationis usus, nempe ut modicam corporis motionem nec inconuenienter amant, qui missiones sanguinis per phlebotomiam & scarificationem admiserunt, ita placida equitatio hic quoque præ aliis eligenda est. Hinc Angli atque Heluetici imprimis post venæ-sectionem, quam vere & autumno præseruationis gratia instituere solent, hoc exercitii genus convenientissimum censent, in aere liberiore rusticano institutum, quare tunc eam vix unquam intermittunt. Nec nobis quisquam eam dissuadere facile poterit, nam liberior & exinde æquabilis per omnes partes sanguinis dispensatio optime fit, dispendium vero forsitan ex detracto sanguine citius refarcitur, calor & spiritualescentia resuscitatur, eoque modo simul incommoda, quæ largiorem sanguinis missionem sequuntur, ut ventriculi debilitas, cruditates &c. auertuntur adeo ut novus sanguis, si per aliquod tempus quotidie continuatur, melius subigatur intimeque uniatur.

## §. XXXII.

Postremo loco parimodo non omittendum esse censeo, quod mulieribus gravidis ad partus, nisi feliciter superandos, quotidiana modica, lenis solutans imprimis, gradaria equitatio circa ultimos menses, nec sine ratione obscura utilitati ducenda sit. Frequenti igitur fœminis Anglicanis prægnantibus atque partui vicinis, hæc in usu est, qua facilem felicemque partum sibi conciliare credunt. Nec fallit opinio: Quanto enim prægnantium interest, ut per totum gestationis tempus vitales humores omnes in debita proportionem, temperie & motu conseruentur, ut tam ipsarum quam fœtus tenerrimi salutem consulant, ac quanto ipsæ ad varios hoc in statu affectus præter

præternaturales per se jam sunt proclives, tanto inquam exactior ea ipsis sit vivendi ratio. Hæc præter reliquum regimen, imprimis etiam modicam corporis complectitur motionem, quæ nullo non gestationis tempore apprimè conducit; Eo magis ea necessaria est, quo magis hæc ad quietem sunt pronæ, quæ matrem & fœtum torpidum reddit, eaque partum minus faciliat; Hoc tamen moderamen probe observent, ut primis gestationis mensibus, mediocris hæc motio in usum ducatur, cum ob debiliorem adhuc cum utero nexum, abortus periculum sit timendum, ac ultimis dein liberaliori indulgeant. Hæc modica corporis motio & secretiones & excretiones debitas, præsertim insensibiles transpirationes, quæ in gravidis variis ex causis justo parciores esse solent, quas omnes intermissâ debita corporis motio inhibet ac plane sufflammat, utilissime exfuscitat ac promovet, sicque impedit, ne excrementa cumulentur, simulque quicquid torpet convenienter excitatur, omnia in debito circuitu debitoque ac amabili calore conservantur, atque foventur, singula digestionis & egestionis genera, maximopere juvantur; atque vitia illis admodum familiaria, ut obstructions, tumores œdematosi &c. præcaventur. Ultimis præsertim mensibus palpitatorius ille motus sæpius iteratus, egregie ad faciliorem enixum omnia præparat, viamque commodam sternit.

## §. XXXIII.

Quod vero omnibus omnino remediis commune est, nisi circumstantiarum, individuorum, ætatis, temperamenti, habitus corporis, temporis, vitæ generis, consuetudinis, victus, proportionis, ordinis & valetudinis præsentis, morborum &c. ne ullo modo excedant, habeatur ratio, aut frustraneus illorum est usus, aut da-

mnum ingens subsequitur; etiam hoc de omnibus exerci-  
 tationibus, adeoque & de equitatione necesse est, fateamur;  
 secundum enim Hippocratis monitum 6. epid. labor &c.  
 omnia mediocria facienda. Meo igitur & hic non defu-  
 turus officio, circa equitationem, quæ salutarem in finem  
 suscipitur, rite in usum trahendam, saltem generales quas-  
 dam adhuc regulas tradam: Nimirum debilibus teneris,  
 cholericis, plethoricis non assuetis, in quibus lenis pla-  
 cidæque brevis, iterata indiesque sensim sensimque aucta,  
 robustioribus, carnosissimis vero, viribus valentibus, aut qui-  
 bus periodicæ quidam morbi, certo tempore redeunt, va-  
 lidior, frequentior longiorque expetitur, placet & con-  
 fert quod hunc in modum præclare dixit Celsus lib. II.  
 c. 15. levia quidem genera exercitationis firmisimæ ac  
 recte valentibus conveniunt, valentiora vero his, qui jam  
 pluribus diebus febre liberati sunt, aut his, qui gravio-  
 ra morborum initia sic sentiunt, ut adhuc febre vacent.  
 Ut & alias Hippocrates innuit l. de sal. diat. carnosissimos am-  
 bulare citius oportet, graciles vero tardius. Juvenibus  
 in quibus velocior adhuc est sanguinis circulatio, mode-  
 rator equitatio imprimis convenit. III. Baco de Veru-  
 lam. Sermon: fidel. 18. Pueris a septimo anno equitatio-  
 potest concedi, minorem tamen quam vires ferant, recte  
 autumat. Concedit iis, & illam Galenus l. de tuenda  
 sanitate cl. II. p. 130. Senibus, quibus equitatio maxime  
 utilis imo necessaria videtur, sæpius adeo adductus Syden-  
 hamius vitæ *exercitatio* prætergressis, multo diutius in hoc  
 exercitatio ne persistendum, quam infra hanc ætatem po-  
 sitis, præcipit, sed iis placidam lenemque suaderem. Ra-  
 tio in patulo est, nimirum in his & fibrarum vigor & sa-  
 nus humorum status deficit & inde major fibrarum im-  
 mobilitas & lentior sanguinis circulus est, & hinc dependen-

dentes necessariae secretiones & salutare excretiones len-  
 tius quoque procedunt, hinc excrementorum copia ma-  
 jor evenit, atque cum in his abdomen maxime patiatur,  
 quia sanguinis circulatio per venam portae praesertim &  
 adjacentium viscerum vasa difficilior lentiorque evadit,  
 unde tonus debitus harum partium perditur, qui ad cal-  
 culos, hydropses, scorbutum, apoplexiam, haemorrhoi-  
 des, stranguriam & similes affectus senibus familiares,  
 expeditam parat viam. Nam hic eum observamus natu-  
 ra ordinem, quod secundum aetates solet per partes or-  
 dinario descendere, cujus fundamentum in fibrarum ha-  
 bitudine, tono, robore, tensione, ac elatere validiori aut  
 invalidiori & fluidorum laxiori aut strictiori invicem co-  
 haerentia, maxime est fundatum. Sic primum infantilem  
 aetatem, ob fibrarum mollitiem & pendentem hinc ato-  
 niam, juxta serum impurum, capitis defluxionibus, tinea  
 & convulsionibus, epilepsia &c. affici comperimus. Mox  
 juvenilem, in qua fibrae jam sunt tensiores & sensibili-  
 res, sanguis magis abundat, haemorrhagia narium, haem-  
 optyses, spasmi thoracis, tusses, pleuritides, phthisis  
 invadunt. Virili aetate deinde major fit fibrarum tensio,  
 unde majores iis, pluresque dolores, inflammationes,  
 arthritides & similes morbi sunt familiares. In senectute  
 denique infimus venter magis patitur, ac calculi, haemor-  
 rhoides, stranguria &c. contrahuntur. Idem quod a  
 me modo indicatum est, sentit & scripsit Clariss. Frid.  
 Hoffmannus Med. Rat. Syst. T. II. p. 344. §. 23. fre-  
 quentem corporis motum maxime equitationem vires &  
 valetudinem senum tueri. Hoc ipsum Cato jam indica-  
 vit his verbis: Resistendum senectuti est, ejusque vitia  
 diligentia compensanda sunt, pugnandum, tanquam con-  
 tra morbum, sic contra senectutem habenda ratio vale-  
 tudini.



tudinis, utendum exercitationibus modicis: tantum cibi & potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. Nec vero corpori solum subueniendum est, sed menti atq; animo multo magis. Nam horum facultates quoque, nisi tanquam lumini oleum instilles, extinguuntur senectute. Quare iuvenes sedulo moniti sint, si a puerili adolescentique ætate sanguineos tenuoris texturæ, longioris staturæ, sanguineo-cholericos, aut sanguineo-melancholicos & phlegmaticos, præsertim se sentiunt, aut crebris catarthis, narium hæmorrhagiis tentantur, aut eadem præpostere ac immediate cohibita fuerunt, aut si hereditaria hæc mala metruunt, nisi & citius, præprimis phthisin, hæcticam, nephriticis cruciatus, aut podagricos, incurrere atque iis tandem perire velint, ut habeant decentem & modicam corporis motionem, & præsertim equitationem sibi commendatissimam. Licet moderata equitatio omnibus temperamentis quadret, attamen præ omnibus aliis maxime convenit etiam quandoque fortior, & auctior constitutionis humidæ & frigidæ hominibus, quos phlegmaticos vocares, quibus calor valde est remissus, & febricitas membrorum notabilis, indicio, motum cordis hincque transpressionem sanguinis esse languidam & in fibris musculosis tenuem remissum, ex quo etiam exercitiorum genere, paulo acrius suscepto mox rubescere incipiunt. Spectat huc locus ab Hippocrate notatus Epid. l. VI. Text. 2. calidi, & qui paucio utuntur cibo, reficiuntur otio, & ipsi exercitationibus labascunt; frigidi & qui multo utuntur cibo, inarescunt otio, exercitationibus reficiuntur. Nec non sanguineis gradaria admodum utilis & necessaria est, his enim motus & abstinentia ordinario loco optimi medici & remedii sunt, sanitatem diu, incolumem ac salvam conservandi. Ubique vero & semper tolerantia & ad-



& adhuc magis consuetudinis est habenda ratio, quæ plus facit ad tolerantiam, quam robur, & movendi facilitatem concedit, juxta Hippocratis monitum Aph. 49. Sect. II. qui solitos labores perferre consuevere, etiam si invalidi sunt, aut senes, eos facilius ferunt, quam qui non adfueti, quamvis robusti & juvenes. Alibi præcipit idem Hippocr. utile esse sanis quandoque ad insueta transire; ac Celsus confirmat, nullis certis legibus obstrictum esse, interdum quiescere, frequentius exerceri, pro sanitate esse.

## §. XXXIV.

Semper etiam, si nimirum pro curatione pertinacis inveterato morbo diuturnior sit suscipienda, a levioribus per breve tempus equitationibus, & modicis itineribus, præsertim non adfueti & imbecilliores ad longiores & per itinerum diffusa spatia procedant, cum ex effato Hippocr. Sect. II. Aphor. 51. multum & de repente evacuare aut replere, aut calefacere aut frigefacere, aut aliter quocumque intempestive corpus movere, periculosum sit. Equites vel in ipsis suis equis hoc observare possunt, qui, si in itineris initio statim nimis incitantur, brevi fatigantur & in cursu deficiunt. Hic ordo, hæcque ratio naturæ semper magis consentanea est, & conveniens, quæ etiam molestiam, quæ quandoque non adfuetis accidere solet, avertit. Sanguis enim crassior & copiosus vehementi frequentique agitatione impulsus, per minimos tubulos difficiliter vibratur ac volvitur, & ubi deinde restagnat, vel ad vicina vasa remeat, tensionem vasorum dolorificas & insignem corporis langvorem parit. Præsertim ideo hunc modum teneant hypochondriaci & melancholici, qui ordinario si fortius mox incipiant moveri, illico angustias & molestias magnas sentiunt.

tiunt. Clarissimus Sydenhamius, postquam quotidie gradatim suscepta equitatio fuerit, tandem ad vigesimum, imo ad trigesimum lapidem usque (secundum computum Anglicum scil.) in morbis diuturnis & pertinacibus phthisi, hectica, malo hypochondriaco &c. eam producere, & per menses aliquot in eadem perseverare suadet. Bis in die, mane scilicet & vesperi corpus exercere conducit, tam ad sanitatem & vitam diu conservandam, quam labefactatam reficiendam. Conf. Gal. lib. de parvæ pilæ usu. Secundum Hippocratis sententiam Epid. Sect. 4. tit. ultimo labores seu corporis exercitia, cibos præcedant, igitur & equitatio, hæc enim appetitum excitant. A prandio aut post pastum, non nisi placidissima, lenissima, ac levissima instituenda, ne velocius cibi quam par est, ex ventriculo ad intestina rapiantur, & chymi & chyli expressio citius validiusque nimis urgeatur, sicque ciborum solutio debitaque distributio impediatur. Quod aliquando Fridericus III. Imperat. Rom. in duobus ad mortem damnatis & decollatis deprehendere oculis concessit. Vid. Hoffmannus lib. V. Instituit. c. 32. Hinc quoque ex eo infestant capitis perturbatio, vertigo, oculorum obfuscatio, colici dolores, scabies, abscessus &c. Imprimis equitantes corpus cibo & potu non gravent nimio, cum iis non solum (imprimis hypochondriaci a paulo fortiori equitatione male se habeant, & si præ aliis assumtis, lac, pingvia, acida, vinum &c. sumserunt) ructus & stomachi ardores persentiant, dum assumpta ad duodenum ipsumque ventriculum regurgitant, sed & atque maxime præ aliis alio exercitio exercitatis tunc non raro hoc incommodo vexentur, quod dolorem puncturium & lancinantem rarius in dextro, in sinistro frequentius latere, & respirationem sufflaminantem cum

appa-

apparente interdum tumore sentiant, quod nihil aliud est, quam spasmi flatulenti species a flatibus, colon potissimum ex dextro hypochondrio surgens, sub ventriculo ad sinistrum latus flexum, lieni connexum, & recurvatum, una cum monocolo distendentibus & inflantibus oriunda, ut & alias experitur sinistro hypochondrio plures flatus colligi. Vulgus lien accusat, & merito quidem, quandoq; cum juxta modo descriptam coli intestini inflationem spasmodicam, sæpius infarctu forte sanguinis pressus, inaequalem motum patiatur ac relaxetur, quam relaxationem fibræ lienis longitudinales tunicarum exteriores æque ac intestinorum &c. ex facili admittunt, unde vaporum enascentium spatium conceditur, ac molesta dissensio in actum deducitur. Persuadent hoc quoque feminarum menstruataram tunc inflationes dolorificæ per plures dies infestantes, nullisque clysteribus cedentes, concomitantes sequentesque fluxus hæmorrhoidales, in viris cruenti vomitus & similia symptomata. Liquet vero ratio simul, cur equitibus familiaris hic dolor hypochondriacus sit, quod pedibus interdum stapedibus fortius innixis, abdominis muscoli stringantur attrahanturque. Attamen nec confert ejusmodi exercitia jejuno plane stomacho instituere, quemadmodum experimur laborantes & corpus moventes ob vacuum ventriculum, variis incommodis premi, ex capite laborare, nausea affici &c. Imprimis biliosi habent, quod eos molestat ac lædit, utpote qui inediam perferre sine subsequenti noxa vix possunt, de quo notum est Hippocratis effatum lib. epid. text. 18. Cibo & potu bilis fervor temperatur & eorum abstinentia exurit, acriorque fit. Repetit & firmat idem l. 6. text. 24. Atque jejunos tunc molestat frigidus præsertim ær, cum ille potissim-

tissimum halitibus niveis turgidus, imprimis si nix copiosius delapsa iter moratur vid. Barthol. de nivis usu c. 33. p. 187. respiracione in ventriculum illapsus, plus faciat desiderari cibum, pungendo & convellendo ventriculi tunicas Conf. Frommondus l. v. meth. cap 5. Unde ex gr. stomachicum optimum erit secundum Rondeletium Method. cur. morb. p. m. 428. caro suilla fumo indurata & lucanicæ Bononienses, quoniam coarctationem ventriculi impediunt (Sibaldus Prodr. Hist. Nat. Scotica P. II. S. 2. c. 1. resinam abietinam suadet. Ex hac dubio fine ratione crusta panis adeo profuit Bruto illi apud Plutarchum l. VI. Sympof. 18. Apolloniam per nives proficiscenti bulimiâ affecto. Insuper in acceptum quoque referimus cum modo adducto Plutarcho l. c. quæst. 8. retentionem halituum spirituosiorum, ex obstructis undiq; corporis poris, conversionemque introrsum sanguinis & spirituum, facileque credimus exinde fieri ingentem fibrarum motionem, imo quoque dolorificam sensationem. Igitur parcius, levior ac humectans ante hoc præsertim exercitium cibus sumatur; A quali pastu dein & equitatio placida lenis & levis confert, quâ assumpta blando motu subiguntur, solvuntur chylusve novus perficitur meliusque ad sanguinem defertur, hinc Plinius memorat lib. II. c. 55. Athletas maluisse semper cibos ambulatione quam somno perficere, ratos somnum ad corpulentiam quam firmitatem magis conferre. Priusquam & sic exerceantur, alvum & vesicam exonerent, quia omnis motus species, imprimis hæc nostra, ad corporis ambitum pellicit ac intestina aliquantisper quasi exsiccat, Conf. Galenus l. III. aph. com 20. & lib. 2. de sanit. Si imprimis validior vehementiorque equitatio futura sit, latera fasciis aut cingulo confecto ligentur, quo simul dolor ille pun-

giti-

gitivus præcavetur & avertitur, nisi contrario musculos retrahendo & spasmos mitigando. Sub motu hoc animus, quantum fieri possit, liber maneat a curis, sollicitudinibus, anxietatibus & meditationibus profundis, sed objectis suavibus oblectentur sensus, ut corpori & animo, vitæ & sanitati eò magis is conducat.

## §. XXXV.

Ut cæteræ exercitationes, cæterisque partibus, vere, autumno & hyeme fortiores & diuturniores conveniant, quam æstate, ob poros ex ære calidiori magis patulos, ac subsequentes copiosiores humorum excretiones, hincque vires debilitatas. Secundum enim Sanctorii calculum in Med. Stat. sect. 2. §. 29. & 41. æstate singulis diebus, libram unam æquans quantitas major per transpirationem insensibilem ex corpore humano excernitur, quam hyeme, ac Archib. Pitckarnius Dissert. de motu, quo cibi in ventriculo rediguntur ad formam sanguini reficiendo idoneam Th. 10. optime argumentatur: hyeme plures fluidas partes sanguinem, spiritus animales in omnes corporis partes, ac imprimis in musculos influere: ita & de nostra dicenda est, unde præclare Hippocrates dixit lib. de salubri diæta §. II. qui exercitio utuntur hyeme, currere debent, æstate verum parum currere, aut minime, sed multum deambulare secundum ventum & frigus. Æstate, ea in umbra facilior, fortior & securior, imprimis si caput patitur, habetur; hyeme vero in sole validior, frequentior, longior, concitator conceditur. Sub frigida forte aeris constitutione, corpus bene munitant probe vestiti equo iter facientes; aer enim undique

M

ad

ad corpus allapsus, multa tunc incommoda inferre solet, imprimis exinde & facile abscessus intus, & morbi laterales, asthma, peripnevmonia, perniones, phlyctenes, contracturae, sphacelus ipse provenire possunt; transcolatio enim sanguinis hinc inde sufflaminatur, & congelatus velut, in his aut illis partibus stagnat. Frigus enim equites laedit licet etiam sint bene vestiti, facilius, pedestre iter facientibus, vel alio motu corpus moventibus, etiamsi tunc non adeo bene sint vestiti, quoniam lenius moventur; hinc equites aliquamdiu pedibus iter facere necessum habent, nisi succussorio vehantur equo. Ubi mihi in mentem venit obiter referendus casus, in Eph. G. C. D. I. anno III. Obs. 41. a. B. Garmanno notatus de viro, qui saeviente hyemis frigore, inter equitandum paralyin penis incurrit, unde impotentia coeundi, nulla iterum arte curanda, successit. Oculis tunc imprimis maximum impendet detrimentum, tum quod repellens nivis & specularis quasi scintillarique glaciatae albedo, radios luminatos ad teneriores oculorum fibras violenter nimis reflectendo easque movendo, oculorum tunicas notabiliter laedit, tum quod & frigoris morsus eis noceat. Ad hujus illustrationem adducit Olaus Magnus, saepius lupos in locis niveis & frigidioribus reperiri oculos privatos vid. L. I. cap. 22. Nec non idem confirmat observatio quam habet Thevenot. Itin. Orient. P. I. c. 5. a terra & saxis candidis in Maltha Insula oculos continuo dolore affici, nisi nigro velamine vultum tegant, errantes. Contra quod milites Persarum pannis nigris ante oculos gestis, felici cum successu usi sunt apud Xenophon. Lib. IV. Exped. Cyri. Incolas vero Regni Tibet, ocularibus non equidem vitreis,

treis, sicuti apud nos usu venit, sed ex retium quodam genere contextis uti, narrat Nurembergius *Histor. Natur. C. 69.* Evitetur & ventus vehementior & adversus maxime, sub vehementiori præsertim & incitata equitatione: omne enim exercitium violentum, ubi fortius spirat ventus, malum habetur: confer. *Sanctorii Med. Stat. Sect. V. Aph. 25.* Ratio in promptu est, violentius frequentiusque aer pulmonibus magno impetu haustus, intruditur, unde liber sanguinis motus impeditur, dum pulmonum bronchia opplentur & distenduntur: hinc sanguis & incalescit nimis rarefactus, hincque vasa præter modum dilatantur &c. Evitentur item studio (aer) minus sanus, malignus, adversus, nebulosus, turbidus, pluviosus, humidus, pulverulentus, nimis frigidus & nimis calidus, radiique solares urentes atque molesti. Per locum, si modo occasio ita ferat, instituat, & ad locum etiam quandoque peregrinando remotum, (ut motus motu continuetur, & locus cum loco mutetur) gratum atque amœnum, salubrem, apertum, laxum, ab orientalibus & septentrionalibus ventis perflatum, ordinario magis salubribus, atque quem stagna & paludes fetoresque non inquinant: Nam magna semper habenda ratio est conditionis loci, & major, in quo exercemur & cibum ac potum capimus, quam ubi quiescimus ac somnum capimus; Sub exercitio enim incalescit rarefcitque corpus, pori fiunt patentiores, & inspiratio major & frequentior, adeoque citius tum magis ærem insalubrem, ejus impressiones in se recipit corpus, atque ab eo afficitur sensibilius ac gravius. Aeris rusticani, quem veteres Philosophi & Medici jam adeo æstimarunt, & jure quidem æstimarunt: (ur-

bano, ordinario, effæto, impuro, pro spiritibus recreandis, & sangvini in pulmonibus exaltando minus idoneo præfertur) hic quoque primaria stet laus, primariusque locus, ut relicta scilicet urbe suburbiisque atq; illorum junctis sedibus & turbulentis foliis, relictoque ære illo culinæ vaporibus, inter ædificiorum umbras inquinato, mephitibus, fumis, fetoribus cloacarum vitatis, eligantur discreta, diversaque loca quæ placent & in iis rarioris liquidiorisque æris laxitas atque ut ad geniales villas & recessus, ad nemorum atque sylvarum, montium, camporum, pratorum, fontium, vallium, rivorum amoenitatem & salubritatem, ut varietate gaudeant, ac ut ad rorem ibi matutinum, suo saccharo dulcissimo & optimo, occulto vitæ cibo & naturæ nostræ gratissimo, mire homines recreantem, ut Helmontius habet, vid. Tract. imag. ferment. p.33. atque ad florum, arborum virentium & fragrantium odorem, equitantes trahantur. Hinc Plutarchus in Problem. Templum Æsculapii Romæ ideo extra Urbem ædificatum fuisse scribit, ut major ibi salubritas haberetur; Hincque apud Strabonem legimus, Veteres, athletas Ravennam misisse, ut in salubriori ære commodius exercerentur. Antyllus apud Oribasium Collect. Med. L. VI. c.21. inter alia ambulationem vel equitationem magnificat in rore, & in locis avium volatu frequentatis, quoniam avium frequentia, quandam æris salubritatem inducit, & volatu illarum ær ventilatur. Mane circa montes, a meridie ad vesperam usque, circa fontes & flumina, ær salubrior erit; tum, quod ibi ær tunc temporis purior fiat & illustrior, hic a sole inclinante & occidente illustratur & sincerior videatur; tum quod mane non ad-



admodum æstuemus, propter præcedentem humido-frigidam noctem; a meridie vero & circa vesperam, per meridianum æstum molestum, suave refrigerium ad aquas inveniamus. Sub diluculo tamen & crepusculo æer non solet esse salubris; hinc Cardanus L. IV. de Sanit. Tuend. c. II. meritò damnat consilium Medicum Pio IV. Pontifici Roman. Septuagenario & infirmo datum, ut æstate sub diluculo equitaret. Legere hic convenit illud Celsi monitum Lib. X. 2. „Cavere meridianum solem, matutinum & vespertinum frigus, tumque auras fluminum atque stagnorum, minimeque nubilo caelo, foliis, aperienti se committere, ne modo frigus, modo calor, moveat præcipientis. Non protrahatur tamen equitatio, ut in genere saltem dicendum est, ad multam lassitudinem, sed ad instantem saltem, ac finis sunt respiracionis alteratio magna & facilis, (quæ si nondum erat aucta, signum erat Galeno exercitii imperfecti, vid. de San. T. passim. cum primis L. XI. & c. 23. Conf. & Ægineta L. I. c. 16. seqq. Oribasius c. 23.) debita corporis intumescencia, calor æqualis, & color faciei floridus, sudor immodicus, (nisi morbus hac ratione curandus fortius quid suadeat,) aut saltem calidi vaporis proruptio, atque tamdiu continetur, quamdiu motus alacriter, æquabiliter edatur, quamque sequatur appetitus bonus, somnus quietus &c.

## §. XXXVI.

Ex equitatione forte paulo nimis calefacti, solliciti sibi à subita refrigeratione auræ, & potus frigidioris

M 3

ad-

admissione & ingurgitatione cavere debent, a quibus tam facile, tamque multi morbi v. gr. epilepsia, capitis dolores, vertigines, aurium susurrus, graves inflammationes, imprimis pleuritides, peripnevmonia, rheumatismi, viscerum obstructions, hectica, phthisis, asthma & febres præsertim ardentes, cæque malignæ, imo ipsa mors non raro repentina, sæpius exoriuntur, quia ex transpiratione inhibita, partes excrementitiæ retinentur, alias sine intermissione excernendæ. Harum enim plurimæ subtiles sunt, volatiles, salino-sulphureæ, acres atque activæ, tales vero majorem inferunt noxam, spasmos excitant, & humores ad putredinem disponunt &c. Frigida vero potio corpori calefacto affatim ingesta, quia hæc facilius in poros venarum calore dilatatos sese insinuat, coagulum inducit humoribus, & liberum sanguinis circulum inhibet. Memorabile exemplum Londini annotatum habeo militis, qui a vehementi equitatione cerevisiam potavit, & statim exanimatus est. Sudor dein bene abstergendus, indusia mutanda, in ære temperato corpus tenendum &c. lassitudo enim magis augetur, si sudor non probe fuerit absterfus. Veteres, ut ante, ita & post ejusmodi exercitia, lenes frictions, consulto, vel simplices, vel cum oleo inunctiones, quandoque in sole & ad ignem, ut Celsus præcipit vid. L. I. c. 2. vel balnea quoque instituebant, tum ad spiritus prohibendos, tum lassitudinem tollendam, tum excrementa penitus secludenda &c. quam medicinæ partem apothepiam vocabant, ut videre licet ex Galeno L. III. de Sanit. Tuen. c. 2. Non statim ab equitatione forte fortiori, sed prius sedata in corpore, perturbatio

ne

ne forte facta, per horam puto, cibi capeffendi sunt; Experimur enim, cibum & potum, ab omni commotione valida corporis & animi, nocentiffimos esse. Facit huc Aphorismus Sanctorii, in Med. Stat. „corpora, quæ a nimio exercitio illico cibantur, læduntur, quia ut defessa & cibo gravata, minus perspirant.“ Ratio est, quia ciborum succus ante debitam solutionem, corporis poros intrat, atque simul digestionis viribus, motu exhaustis & imminuto ventriculi robore, notabile detrimentum accedit. Postea requiescere paululum convenit, quo simul sensus contractæ forte lassitudinis, juxta frictionem simul lenem institutam excutitur, optimeque molestiæ reliquæ sopiuntur, secundum Aph. Hippocratis S. II. In omni corporis motu, quando dolere cœperit, interquiescere statim lassitudinem curat. Cæterum ab exercitio plenior paulo, sed laudabilis victus concedendus, ut succus nutritius, tenuis & utilis iterum restituatur; attamen victus quantitas semper respondeat exercitio, ita & præfertim is iterum succulentus atque humectans, auctoque ubique instituatur potu. Sisto hic merito Celsi monitum apprime utile, quod habet Lib. I. cap. 3. §. 28. „Omnibus fatigatis aptum est cibum sumere, eoque humido uti, maximeque ea, quæ urinam movent, & vinum aqua dilutum.“

## §. XXXVII.

En Medicina jucunda, vera, efficacissima, enque Medicina, Magnis Principibus, Regibus, Nobilibus Generosis ac Equestris Ordinis Hominibus maxime conveni-

veniens, atque in paucis acceptissima, quam omnibus aliis remediis pharmacopolium redolentibus, vel ex solo auditu aut aspectu sæpius nauseam moventibus, anteferant longe. Quare qui equitationem ex Medicina proscribere vellet, detrimento hoc haud exiguo illi foret, non minus ac olim Romano Ordini Equestri, maximo dedecori ducebatur, equum adimere. Attamen etiam cum ratione, delectu, omnia in ea dirigantur & cura; si vero immoderate inconsiderateque peragatur (ut vitiosa & frequentiora nimis exercitia, quondam virtutibus expolientis & excitandis instituta, athletarum mores corruperunt, & Græcis mollitiem & servitutem attulerunt vid. Plutar. L. de t. valed.) dicere necessum habemus, multa incommoda neque exigua hanc ipsam quoque afferre, ac majora forte mala, quam quæ Lacedæmonii ex imprecatione credebant, quam pro faevissima habebant & *ἰσσοροφία* ab illis vocabatur, ex eo, quod magno stare impendio, & homines suavi captu ad perniciem duceret. Vid. Alex. ab Alexandro l. c. L. III. fol. 165. Hoc si plane negare vellemus, eandem propemodum censuram incurrere possemus, ac quondam Caligula Imperat. R. qui Incitatum suum, aut Verus, qui Volucrem suam (equos) supra modum amabant, ornabant atque honorabant. Utique aliquis error subest, equo non semper (ut in proverbio ajunt) ne credite Teucrici. Equidem moderata, lenis, gradaria omnibus omnino quadrat, & lædit neminem, nec ullum virium decrementum ac lassitudinem equites exinde, sive etiam per totum diem equitent, sentiunt. Nec illi minus accurate æstimant, sed ex ingenio tantum comminiscuntur perhibentes: equitationem minus commo-  
dam

dam esse, ob angulum sessionis, quem formarent equo vehentes, aut ob ejusmodi posituram corporis, gravem partium pressionem fluxui sanguinis contrariam timentes. Nimia saltem & inmodica, gravis, quadrupedans & præter modum succussans, & equo refractario instituta, damnum facile potest contrahere: Quippe ea fibras musculorum, ipsiusque cordis & cerebri cum nervis exinde oriundis, nimium intendit, pectus, pulmones, viscera & omnes partes interiores & exteriores acerbius affligit, conquassat, adeoque humores plus justo concitat, sicque horum omnium sonum destruit, rumpit, effusiones humorum procreat, animales spiritus nimis movet, deprædatorios illos reddit, humiditates laudabiles corporis, per nimios sudores exinde concitatos absumit, variisque aliis modis lædit. Notabile in hanc rem est Sanctorii Aph. 19. Med. Stat. Sect. V. Exercitium omne animi & corporis violentum, senectutem accelerare & mortem: Adeoque non mirum, si exinde, præsertim non adfueti plethorici, scorbutici, calidioris temperamenti homines, lassitudinem, virium debilitatem, capitis dolores, palpitationes cordis, oculorum affectus, ophthalmiam, visus hebetudinem, Conf. Aristotel. Sect. V. Probl. 13. rupturas vasorum, hæmorrhagias, hæmoptysin, Conf. Ramazzini l. c. renum tabem, alvi segnitiam, febres acutas inflammationes, testiculorum intumescencias, mictus cruentos, hernias, attritiones cutis in regione perinæi dolorosæ, hæmorrhoidum pathemata, ut & ani mariscas, ulcera, varices in cruribus &c. sibi contrahant. Schenckius lib. 4. Observ. refert, quendam equitatione vehementi alterum testiculorum in ephippio contorquendo

N

adeo,

adeo pressisse, ut inter abdominis musculos ad inguen retro cederet, qui nullo modo deinceps reduci iterum potuit. Ido Wolffius *Observ. Chirurg. Med. l. I. observ. 50. p. 167.* in Generoso quodam viro compressionem seroti & testiculi sinistri, cum dolore & intumescencia ingenti, ex fortiori equitatione observavit. Memini jam in Academia nostra Lipsiensi, quondam, juvenem Nobilem Silesium, in hippodromo ex equitatione succussoria & in gyrum acta, valida, sputum sanguinis expertum esse, cum subsequente pulmonum ulcere. Pariter Capitaneum Saxonicum cognovi, qui longiori itinere per Saxoniam, Silesiam, Poloniam in Moscoviam usque facto, cum veredariis cursim equo vectus, fistulam ani molestissimam ac incurabilem sibi induxit. Facile quoque largiamur Hippocrati *L. de A. A. & L. c. XI. & Wiero, vid. Observ. Med. p. 84.* immoderatam, continuam, nimis violentam, parere hippurim, ideo ab ipso Hippocrate vocatum morbum, ex nimia scilicet & minus convenienti equitatione contractum, sive femorum pedumve & artuum reliquorum ex destuxionibus diuturnos labores. Quinimo observatur & id, veteranis equitibus tandem genua incurvata manere, & totum corpus rigidum, & articulorum siccitatem inductam, (ut sutores genua habent inflexa, atque factores cubitos incurvatos: &c.) Tametsi & observare datum est, equites veteranos æque ac pugiles, nimis frequenter pedibus laborare præsaltatoribus. Non quoque plane habeo ambiguum, neque inficiari possum, quod supra jam quasi digito monstravi, equitationem nimiam, duram nimis & succussoriam esse e causis remotioribus, virilem potentiam impedi-

dien.

dientibus, qua nimirum muscoli virilis membri comprimi, cogi, contundi, atque sic erectioni inepti reddi possunt, quale v. gr. exemplum Jac. Fontanus Conf. 2. de Nobili quodam habet, in quo hi muscoli sic erant depravati, quales alias ex casu ab alto, aut percussione alia harum partium violentiori, aut modò ossis sacri ac dorsi gravi contusione accidere assolent, cujusq; rei exemplum invenies apud Hildanum Cent. 6. Observat. 59. notatum. Cobarus in Observ. Med. Castr. D. II. p. 7. observatum reliquit, equitantes continuo iliakis passionibus magis obnoxios esse quam pedites: An a violento & continuato motu, an à potu insalubri non adsueto, aut aliis causis hoc deducendum sit, longius non disquiram, contrarium ipse innuere quoque videtur inferens I. c. Observ. 8. in scholiis: Turcas, qui tamen æque fere semper equis vehuntur, nullis vero intestinorum torsionibus, vel etiam profluviiis obnoxios esse. Hoc saltem adhuc, cum compertum sit aperte lubensque concedam, veteranos equites, ut plurimum esse stypnicos.

## §. XXXVIII.

Diffiteri quoque nemo potest, equitationem omnibus morbis, ut ephippium omnibus equis (ut est in proverbio) vix quadrare: v. gr. vertiginosi, & quibus debile caput est, non ferunt equitationem paulo incitationem, minime vero si equus in gyrum agitur, vel si succussor fuerit. Facile quoque majorem noxam suo jumento sibi arcessere per paulo violentam & duram equitationem possent graviter vulnerati, aneurisma passi

100 DEEQUITATIONIS USU EXIMIO MEDICO.

ac herniosi, (nisi hi subligaculo bene sint muniti, & ephippio lato & molli instructi, stapedibus non longius productis) Ab equinis pariter (ut ajunt) pedibus tutius Hippoliti, Thesei Atheniensis Regis nati memores, (quem ferunt ab equis esse dilaniatum ab Aesculapio vero resuscitatum) procul secedant gonorrhœa affecti, & qui inflammationibus viscerum & inprimis renum, erysipelate crura & pedes occupante tentantur. Sic & inutiliter equitationem adhibebis in ascite maxime inveterata, & ubi vasa lymphatica sunt lacerata, licet etiam in alia ejus specie, fructuosissimum hoc remedii genus sit deprehensum. Sed ab equitatione jam calamum avoco, hisque cursum sisto. Deo vero Ter-Optimo

Maximo sit honor & gloria  
semper.

Errata typographica, conspectiora.

Pag. 1. lin. 2. lege diebus solennibus. p. 2. l. 2. l. academica. p. 2. l. 9. l. paroemia. l. 17. l. Bucephalum. l. 30. l. Medicinae. p. 3. l. 3. l. tanta astimationis. l. 24. l. coepta. p. 4. l. 12. l. sciverit. p. 5. l. 31. l. depellere. p. 7. l. 11. l. neque levia. l. 32. l. declinentque. p. 9. l. 8. l. fuliginosum. l. 13. l. affluxu. p. 10. l. 10. del. te l. 13. l. v. ocantur. l. 15. l. tueantur l. 19. l. commendatio. l. 27. l. exercitationes. p. 11. l. 24. l. Antoninus Philosophus. p. 13. l. 15. l. fecerit. l. 22. l. impediatur. l. 14. l. 4. l. otio. p. 15. l. 29. l. mallicatione. p. 17. l. 14. l. Sybaritae. -- l. 19. l. pervenit. -- l. 23. l. Nemei. p. 19. l. 4. l. deprecatur. p. 20. l. 15. l. insidentes. p. 21. l. 23. l. aequilibrum. p. 23. l. 3. l. peristalticus. p. 25. l. 2. l. agitari. p. 35. l. ult. l. fulgur. p. 36. l. 26. l. dispicere. l. 29. l. linnuam. p. 38. l. 12. l. illi. p. 39. l. 6. l. haemorrhagiam. l. 7. l. haemorrhoidum. p. 40. l. 2. l. lassatum. lin. 13. l. occasionem. p. 46. l. 16. l. hamatiten. p. 66. l. 26. l. addictas. p. 71. l. 11. l. supervacaneum. p. 84. l. 23. l. remissam.










Nö 2323

X2536 462

R







B.I.G.

Farbkarte #13

Q. D. B. V.  
DE

# EQVIVATIONIS

## EXIMIO USU MEDICO DISSERTATIO

IN  
ILLUSTRI ACADEMIA LIPSIENSI  
PUBLICE QUONDAM PRO CATHEDRA  
EXPLICATA, JAM SECUNDA CURA CON-  
FECTA AC AUCTA, UT NOVI OPUSCULI  
MEREATUR TITULUM

A U T O R E

### CHRISTIANO MICH. ADOLPHI.

Philos. & Med. Doctore, Facult. Med. Assessore,  
Societatis Leopold. Carol. Nat. Curios. Sodali, B. M. V.  
Colleg. Collegiatio & Medic. Practico.

L I P S I Æ,

Impensis IOHANNIS HENRICI ZEDLERI,

Anno M DCC XXIIIX.

